

Biblioteka Jagiellońska
stdr0011426




1. Oratio Cromeri pro autoritate ecclesiae.
2, Casimiri Angriff auf Schweden -
3, Confoederations Artikul.
4, De Polonica electione.
5, Abgehandelte Vergleichung.
6, Rudolphi II oratio.
7, Oratio nomine Johannis III.
8, Einzug Sigismunds.
9, Consilium de recuperanda pace Poloniae.
10, Morientis Poloniae servandae ratio.
11, Votum P. Biskupski Wierzbięty.
12, Vot Casimiri Liszynski etc.
13, Electio Saxoniae Electoris.
14, Der Polnischen Staats Raths Maximen.
15, Manifest des Prinzen de Conty.
16, Actum in curia Varsaviensi.
17, Glossa über das vom Prinzen Alexander aufgez. Manifest.
18, Pierre Mezievitz à l'Archevèque de Gnesne.
19, Der Czaarischen Maj. Demonstration.
20, Consilium de recuperanda pace Poloniae.
21, Oratio de rebus Poloniae.
22, Von dem Polnischen Interregno.
23, Election de Stanislas Leszinsky.
24, Instrumentum Denunciationis.
25, Ein das von den Polen verletzte Völkerrecht betreffender Brief.
26, Theodori Potocki Manifest.
27, Bescheid aus Rom.
28, Ein Brief von dem Litthauischen Stragnik —
29, Die Pohlnische Freiheit.
30, Die jetzige Confoederation.
31, Gravamina.

CONSILIUM
DE
RECUPERANDA
Et in Posterum
STABILIENDA
PACE
REGNI POLONIÆ.
In quo
Demonstratur Pacem nec constitui nec stabiliri posse,
Quamdiu
JESUITÆ IN POLONIA
maneant.
Ad Illustres Regni Poloniæ Proceres.

Conversum ex Polonico in Latinum.

Anno MDCCXXV.



Benevolo Lectori Editor Salutem.

CUm *Societas* illa, quæ à *JEsu* cognominari voluit, hocque tempore maximam celebritatis famam adepta est, post initium Seculi XVI. nata, atque Ao. 1540. à Paulo III. P. M. confirmata esset, idem Ei quod & rebus humanis aliis assolet, evenit ut laudaretur ab his, culparetur ab illis.

Et quidem Societatem illam summis Encomiis tunc mactatam fuisse, hodieque mactari, ita res est manifesta, ut probatione minimè indigeat. Fundator ejus *Ignatius Lojòla*, Hispanus, tanquam Vir planè divinus repræsentatur, in cujus Vitâ, à Pet. Ribadeneira & aliis conscriptâ, Illumina-

tiones divinæ Ignatio factæ, Revelationes SS. Trinitatis, Apparitiones B. Virginis, Visioncs Christi & Sanctorum glorificatorum, Colloquia cum Salvatore, Ecstases cælestes, Certamina cum malis spiritibus corporali specie cum ipso congressis, specimina Prophetiæ, illustria eaque frequentissima miracula, tam in vita quam in morte patrata, & si quid augustum de mortali homine cogitari dicive potest, utramque paginam faciunt. Ideoque *Osorius* *, & ipse Jesuita, *Quintum illum Angelum*, quem S. Johannes in Apocalypsi † viderit, *Ignatium Lojolam* fuisse deprædicat; de *Societate* verò graviter pronunciat, *Jesuitas ad aliorum Ordinum, Religionum, & Sodalitiorum defectus explendos, nævos eluendos, distorta quæque corrigenda, & silentium tumidis magisteriis*

* Osor. Tom. IV. Conc. de SSctis Conc. in obit. Ignatii.
† Cap. IX.

riis imponendum institutos esse; & in eodem libro ait: *Deus diligit istum ultimum Ordinem, designatum in Jesu, quemadmodum Jacob Patriarcha Benjaminem filium suum, eò quod in senectute genuerat eum. Institutum Virorum planè PERFECTORUM.* Ipsi nempe, talium Judicio, Viri sunt, qui insigni Sanctitate prædití, Claves simul Scientiæ omnisque Eruditionis teneant, Magistri orbis, sedis Apostolicæ Fulcra, Ecclesiæ Catholicæ Promachi & Defensores, Mallei Hæresium: quorum Laudes Cathedræ, Pulpita, Urbes, Provinciæ, Regna, uterque Orbis passim resonent.

Sunt verò ex altera parte, qui de Societatis istius Instituto omnia alia judicent. Non de *Protestantibus* loquor, qui & *Evangelici* audiunt; horum enim, ceu Partium studii suspectorum, eoque testium inhabilium

bilium rationem hic nullam habendam esse censeo; Viros *Romano-Catholicos* innuo, tales, qui locum in hac Ecclesia eminentem tenuere, qui Eruditionis & meritorum laude in ea floruere, qui in ejus Communione vixere & mortui sunt & qui nihilominus sinistrum de Jesuitis Judicium ferre minimè veriti sunt.

Tales fuere inter alios plurimos hic brevitatis studio prætermittendos.

ACADEMIA PARISIENSIS quæ in libello supplice, an. 1544. oblato ita de Jesuitis: *Secta magnas confusiones in disciplina scholastica excitans, turbis causam dans . . Diris Seditionibus non solum Urbem Parisinam, sed totum Regnum Galliæ miscens. Secta ad labefactandam omnem disciplinam tam Civilem quam Ecclesiasticam introducta. Secta negans obedientiam Academiæ, Rectori Academiæ, Archiepiscopis, Episcopis, Curionibus. Secta pestifera; obliti Sacerdotalis Professionis se immiscentes publicis negotiis, Exploratores Hispanorum.*

SORBONA PARISIENSIS, an. 1554. d. 1. Dec. sequentem de iis tunc adhuc Novellis, Censuram dedit, de adultis mox daturam graviorem. *Hæc nova Societas insolitam nominis Jesu appellationem peculiariter sibi vindicans, tam licenter & sine delectu quaslibet Personas, quantumlibet facinorosas, illegitimas, & infames admittens . . . in magnum populi gravamen, Religionis Monasticæ honestatem violare videtur, studiosum, pium, & necessarium Virtutum, & abstinentiarum, ceremoniarum & austeritatis enervat exercitium . . . debitam Ordinariis obedientiam & subjectionem subtrahit, Dominos tam Temporales quam Ecclesiasticos suis Juribus injustè privat, perturbationem in utraque Politia, multas in populo Querelas, multas lites, discordias, Contentiones, Æmulationes, Rebelliones, variaque schismata inducit. Itaque his omnibus atque aliis diligenter examinatis & perpensis, hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, Pacis Ecclesiasticæ perturbativa, monasticæ Religionis eversiva, & magis in destructionem quam in Ædificationem.*

EUSTACHIUS BELLAJUS, Episc. Paris. eodem anno, XI. rationibus sustinuit probare, *Jesuitas non esse in Galliæ regno recipiendos; prolixiores eæ sunt, quam quæ hic adducantur* alibi, cui placet, legendæ.*

ADRIANUS TURNEBUS, Regius Humaniorum Literarum & Philosophiæ Professor, Parisiis, Vir longe celeberrimus, in Epistola ad Lotharingum Cardinalem, circa an. 1560.

Quæ nova surrepit Secta, & mentitur Jesum,
Dulce Latrociniis prætendens nomen opertis,
Tartareis emissa vadis, spoliaria plebis
Instituit, speratque suos ditare latrones:
Jamque Gregem pascit simulatio dira rapacem,
Semper inuncantem Viduarum e viscere prædam;
Fallentem pueros & inertia pectora Vulgi &c.

Idem AD SOLERICUM, *Jesuitarum hunc repræsentat Characterem. Qui non contenti stipe minuta, sed Testamentis inhiant, lucrisque beatis. Insidiatores, Captatoresque, Eleemosynarum pauperum Aversores, Amplarum Sectatores prædarum. Qui magna petunt, dum parva fugiunt. Exiguum pretium contemnere sveti, ut*

* Vid. Mercur. Jesuit. Edit. II. Tom. I. p. 315. seqq.

ut jugulent fortunis omnes Orbos . . . Grassantes Prædones in fortunas opimas. Phariæ ex amina sæva locustæ. Propositum quibus hoc, hæc mens, cumulare bonum, Villas & prædia quærere multa, atque potestatem Vitæque necisque parare in stupidum Vulgus. &c.

PONTUS TIARDÆUS Episcopus in Gallia Cabillonensis regnante Henr. III. Vir summa Auctoritate & Eruditione conspicuus, in Apologia contra Jesuitas, *Acres Molossi Venatoris Romani. Quorum animus vultu, & flagitia parietibus teguntur . . . Viscus merus sunt. Viscata sunt eorum Verba, viscatus omnis habitus & vultus, gestus, motusque corporis viscatus, viscata maximè, fictitia superbaque humilitas, viscatum & ambitiosum est honorum fastidium, avaraque divitiarum aspernatio & aversatio viscata est. Toti sunt viscidi. Qui sub sanctæ Religionis velo decipulas, impietates, & omnis generis scelera contegunt. Qui nefarias, infandas, ab Angelis desertoribus proditas, & à Deo interdictas vetitasque sacris Liturgiis immiscent artes. Hypocritæ, Religionis simulatores, & parietes dealbati. E Schola & pulvere Rhetorculi declamatores. Venditantes se sacros Concionatores. Qui Concionibus seditiosis accommodatiores sunt quam tranquillis moderatisque sermonibus &c.*

JOHANNES PASSERATIUS, Professor Eloquentiæ Regius Parisiis, (notæ Eruditionis & Elegantiæ, Thuano Lib. CX. cum in Ciceronis locum de Ridiculis præfaretur, ita Jesuitarum ferociam repræsentat. *Quid enim isti Sceleris & amentiæ prætermiserunt? In Regem suum Henricum III. & optimè de se meritum perfidiosè conjurarunt: concitata per vim multitudine, Regia sua Solioque avito, quantum in ipsis fuit, immanissimè deturbarunt: coacto Latronum exercitu, audacissimè oppugnarunt . . ac tandem per cucullatum Sicarium, emissarium suæ factionis, nefariè trucidarunt; carcerem in Senatum, Senatum in carcerem effuderunt: privata publicis, imis summa miscuerunt: cunctaque divina & humana Jura violarunt . . . Lustranda igitur & expianda nunc Academia, Musisque iterum dedicanda, diligenti cautione adhibita ne amplius earum Templa & Ceremoniæ contaminentur. Id ut rectè fiat atque ordine, abigendæ sunt imprimis obscenæ volucres, quæ rapinis contactuque omnia fœdant immundo:*

Decolor est illis vultus, teterrima Ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.
Non agnoscitis volucres: agnoscite sine plumis bipedes
Curva quibus pullam subnectit fibula Vestem.

Has Harpias nisi Senatus & amplissimi Academiæ Curatores, fugarint & exterminarint . . Frustra in excolendo Musarum fundo sudabimus . . Meminisse debemus quonam pacto profugi homines, nec minus vagi quam Scythæ, nova gratuitæ Doctrinæ professione vulgo commendati huc irrepserint . . quibus artibus, inhiantes locupletum fortunis, divites Orbos vel Cœlibes, deliros Senes, superstitiosos mulierculas, & adolescentulos imperitos deceperint . . Testes honestissimæ amplissimæque Familiæ, quarum Sangvinem pro levi docendi opella & exiguo minervali, istæ Hirudines exorbuerunt. Testis immanis eorum Census, qui cum Regum ac summorum Pontificum opibus certat. Præclara liberalitas, repudiare Drachmam, ut talentum extorqueas . . . Gratuita doctrina illis est pro hamo, vel potius pro reti-jaculo, quo callidi piscatores cuncta converrunt cum pulvisculo. Stolidi Parentes qui suos iis credunt liberos, eadem opera Columbas Accipitribus, Pullos Milviis, & oves committunt lupis. Atque utinam . . . recta hic non depravarent ingenia, dum curva corrigere videntur, nec suos edocerent artem mentiendi, & dolos, quos appellant industrios. Quid autem aliud docerent Vulpeculæ, si Scholam aperirent? Sic amant verum hi Chamæleontes, Polypi, ac Stelliones. Hujusmodi doctrinam, & hos mores, nos illis non invidemus: sibi habeant, abeantque simul cum strigibus; & illuc revertantur unde malum pedem huc attulerunt . . Academia nostra certè, quæ longum periculo

culosumque morbum eorum contagione contraxit, nisi hoc levetur Vomitu, vix unquam convalescet.

ACADEMIA PARISIENSIS an. 1594. litem contra Jesuitas per 30. fere annos intermissam magna contentione renovavit iique in jus vocati, ut Academia & Regno omnino expellerentur ursit; *Diu enim esse, ex quo Ordines in senatu questi sunt de nova secta eorum, qui . . . ambitioso Societatis Jesu nomine sibi adscito . . magnis turbis causam dederint . . . cumque nondum pestiferæ sectæ per alias Regni Urbes Virus sparsissent, ejus prima semina Parisiis jecissent &c.* Dicto die pro Academia M. Antonius Arnaldus, Consiliarius Regius, & Advocatus Generalis dixit, prolixa & gravissima Oratione, quæ cum sequenti, quod hic damus CONSILIO, plurima habet communia, Jesuitas perstrinxit ut qui:

Reges cum Proceribus Regni committere assveverunt . . Proditiones specie Religionis introducentes. Emissarii, fucati Sacerdotes. Arsacidarum & Assassinorum Successores. Acres Philippici nominis Satellites, ad excogitandum acutissimi, ad audendum impudentissimi, ad efficiendum acerrimi, tam in scelere vigilantes, quam in perditis rebus diligentes. Voto suo peculiari hæc Verba horrenda adjuncta habentes, quibus in Generali suo Christum velut præsentem se agnoscere. *profitentur . . . ipsis proinde, si Generalis mandat, ut Rex Franciæ occidatur, ex voti necessitate Hispano jubenti parendum esse . . . Sacrum Ecclesiæ Gallicanæ ordinem hujus Sectæ veneno corruptum esse . . . Lutetiæ in eorum ædibus primas Conjurationes initas Catilinæ Conspiratione perniciosiores . . in eorum Schola Lugduni, & postea. Lutetiæ anno superiore consilia de Regis parricidio inita esse.* Sed abrumpendum est, tota enim oratio Arnaldi decem plagulis constans transscribenda esset, sed cujus summam Thuanus Hist. Libr. CX. exhibet.

CURIONES, seu PLEBANI PARISIENSES, huic liti intervenientes triduo post, pari vehementia, per LUD. DOLÆUM agebant: *Jesuitas in Ecclesiastico Ordine minimè censendos, sive ut Sacerdotes Seculares, sive ut Regulares reputentur . . . Austeritatem, & cernuos in terram vultus non modestiæ & contemptus rerum in his Patribus indicia esse; superbiam & fastum hac specie celari, & dum terram cernant, ad opes terrestres & externos honores oculos intendere . . in Patrum Scriptis emendandis plurima Plagia admisisse . . ex Sacerdotibus . . Pastores universales, Circumcelliones, Hamaxarios Episcopos repente effectos . . eorum sceleri ac furori non mentem aut timorem, sed tantum fortunam Reipublicæ obstitisse . . . Regicidia, non unius inter ipsos Crimen esse, sed Sodalitii . . Audium hæreticum in Jesuitis revixisse . . apud veteres Christianos inaudita hæc monstra fuisse . . &c.*

Pluralitate suffragiorum tamen Senatus consultum factum est, ut Lis ista tunc non decideretur, sed comperendinaretur; quo facto,

AUGUSTINUS THUANUS, Curiæ Præses, vir antiqui moris ac horridæ Libertatis, subjecit: *sibi videri, comperendinata Causa, vitam Regis comperendinari; atqui non comperendinari eam, sed insigni exemplo, quod ab hoc Judicio expectabatur, in tuto collocari potius oportuisse. Se quidem senio effætum providere, ut potius vitæ, quam Litis hujus finem sit adspecturus, ne tamen indicta sententia moriatur, censere, ut Jesuitæ toto Regno expellantur.*

Illustris hic vir non fuit falsus Vates, eodem enim Anno 1594. d. 27. Dec. JOHANNES CASTELLUS, Jesuitarum in Collegio Claræmontano discipulus Regicidarum doctrina ceu licita, imo meritoria imbutus, Vitam Regis attentavit Cultro in Gulam directo, sed quæ in maxillam inferiorem incubuit, ore tantum vulnerato, & dente eliso; quæ res

)( )(

Regi Henr. IV. Judicibus qui Causam comperendinaverant, succensenti hæc Verba expressit:

Ergo oportuit Jesuitas ex ORE MEO convinci.

Exin Castellus promerito supplicio affectus, sed & Rector Collegii, Joh. Guignardus, judicio convictus, Carnificis manu strangulatus, totaque Societas Jesuitarum Regno Galliæ intra dies XV. ejecta fuit; Castelli verò Domus solo æquata, inque ea area Columna eximio operis infamiæ testis erecta. In Basi verò quadrata Senatus consultum descriptum, quo Jesuitæ pronunciabantur:

Mali Magistri, Genus hominum novæ ac maleficæ superstitionis, Hispanicæ columnæ, Gallicæ Juventutis Corruptores, pacis tranquillitatisque publicæ turbatores, regis proditores, & Patriæ Desolatores &c.

Joh. Aug. Thuanus, qui superius adducta fusius descripsit, passim in Historia & Carminibus Jesuitas notat:

Ab immiti furiæ averno: Gens gnara nocendi. Gens nata Magistratum convellere: ipsosque necandos horrenda Reges Proditione docet. Servandamque Fidem negat, argutisque cavillis detorquet magni jussa verenda Dei. Qui crimine in omni obtendunt Causam Religionis agi . . Societas quæ in tantum brevi crevit, ut ipsis Principibus formidolosa esse cœperit &c. &c.

Sed Testimonia Seculi XVI. in majorem quam propositum erat molem excrescere video, ideoque in sequentibus brevitati magis studendum erit.

Henricus IV. R. G. cum Jesuitæ an. 1601. restitui, peterent, Orationem, quam patheticam ad ipsos habuerat, his verbis finivit: *Sententiam semel datam non muto Si verè Galli estis, magis totius Regni tranquillitati quam Vestræ utilitati consulatis. Dixi quæ volui, abite, & valete.*

Cum an. 1604. Jesuitæ in Gallia restituendi essent Harlæus, Præses Parliamenti, unà cum Senatu gravi oratione intercessit, quæ apud Thuan. Lib. CXXXII. legi meretur. Ex ea hic paucula: *Presbyteros & Scholasticos Claræmontanæ Scholæ, quæ nomen Jesuitarum sibi sumebant, cum primum in regnum irrepserunt, à toto Sacro Ordine oppugnatos, eaque de re insigne extare Sorbonici Collegii decretum, quo scitum est, hanc Societatem in destructionem non in ædificationem esse institutam . . Romæ & in Hispania ubi nova opinionum harum Monstra (Legalitas Regicidiorum) vigent, aliter sentiunt, aliter in Francia loquuntur . . . in Tumultibus Galliæ ne unum quidem in tota Societate repertum, qui Regis Partes sit secutus &c. &c.*

Mortivillerius Rector Academiæ Parisinæ an. 1611. acri Oratione habita, Jesuitas vocat, *importunos hæredipetas, qui ut Corvi Prædæ inhiantes, non nisi in os offa injecta, recedere solent. Sagacissimos Patres Claromontanos, Sectam totum Orbem dogmatum suorum facibus incendentem, Gigantes qui montes Montibus imponant, Cœlum scansuri.*

Facultas Theol. Paris. an. 1625. in Censura, in librum Sanctarelli Jesuitæ: *Dementati homines. Acerrimo Hugonotorum Odio flagrantes patres. Perversa Jesuitarum Sodalitas. Pharisæi. Vestiti pulcherrimo nomine Jesu. Secunda bestia Apocalyptica &c.*

Franc. Roales, Presbyter. Theologus Hispanus, Magister Salmanticensis, an. 1632. Actionem Hæreseos, in Societatem Jesu, Romæ, coram Inquisitionis Officio instituit: *Quæ doceat pluria enormia, horrendaque dictu, in quibus Illuminatos, Tertullianistas, Libertinos, Protestantes, & alios omnes Hæresiarchas, imitari aut superare videtur . . quorum Scripta in destructionem potius quam in ædificationem fidelium & fidei Catholicæ tendere viamque ad omnem hæresin, imò ad Atheismum in Hispaniam aperire &c. denique ait: ad hæc & singula supradictorum probanda & demonstranda teneri & COGI VOLO, SUB POENA TALIONIS.*

Cum an. 1629. Imperator Edictum de Bonis Spiritualibus restituendis promulgasset, Jesuitæ verò fortiter instarent, ut Pars Monasteriorum, quæ ad alios Ordines pertinebant, suæ Societati traderentur, inter alios quidam eruditus Sacerdos de D. Benedicti familia, an. 1643. librum edidit, titulo, *Astrum inexstinctum*, in quo plurima adeo duriter in Jesuitas dicuntur, ut Alphonsus de Vargas judicet, *qui eum librum legere voluerint, ipsa Veritatis evidentia subactum iri, ut post homines natos agnoscant & fateantur nusquam terrarum inventos fuisse tam omnino nullius conscientiæ, fidei, honestatis ac Pudoris Doctores, an Seductores; quorum si quis ingenium ac morem ex ipsis eorum Scriptis perspexerit, fieri nullo modo potest, ut eos posthac vel conscientiæ arbitros ac moderatores, vel Liberorum suorum Magistros habere, & vel visos vel auditos, velit, nisi aut fascinatus planeque oculis ac mente captus sit, aut quæ tantorum Scelerum Magistri docent, ea discere gaudeat &c.*

Is ipse jam nominatus *Alphonsus de Vargas, Toletanus, jun.* an. 1644. *Relationem ad Reges & Principes Christianos, de Stratagematis Societatis Jesu*, evulgavit, in qua artes ipsorum graphicè depingit, & non procul a fine hæc habet: *An dubitabimus quin Jesuitæ Sacrilegiorum Auctores & Consultores, fundi Germanici Calamitas, & Capitalis Reipublicæ Pestis ac Pernicies censeri debeant?*

Neque opus est plura in hanc rem allegare, quandoquidem propria Confessio P. Provincialis Societatis Jesu in Moravia, in Epistola ad Abbatem quendam S. Cæs. Maj. Consil. totam Causam perorasse videtur. Ita ille:

Venit hora, in qua arbitratur QUISQUE, obsequium se præstare Deo, cum de Jesuitis MALA OMNIA suspicatur, & sentit, & loquitur. Nec Religiosus pene ullus, nec Politicus, nec Hæreticus Jesuitas aut religiosè vivere aut veritatem loqui existimat.

Neque

Neque Dictis solum, verum & Factis multi Romano-Catholici suum à Jesuitarum Societate aversum animum testati sunt, iique non Privati tantum, sed integra Regna & Respublicæ. Vix nati, Colonia an. 1544. pulsi fuere, duobus tantum tunc ibi retentis. Noviomagi, quamdiu illa Respublica Cultui Romano addicta fuit, sedes magno conatu sæpies quæsitas, obtinere tamen non potuerunt; & cum an. 1559. Domus ipsis à Cive quodam legata esset, Magistratus, vigore sententiæ an. 1555. latæ, Donationem illam irritam pronunciavit. Transylvaniæ Principatu, ob facinora ipsis imputata, ejecti fuerunt an. 1590. In Gallia cum inde ab an. 1544. fortunam sæpius tentassent, eamque jam secundam, jam adversam experti essent, demumque pedetentim per varios gradus effloruissent, tamen an. 1594. eodem Senatusconsulto, quo Regicida Castellus ad supplicium damnabatur, ipsi quoque Regno excedere jussi sunt. An. 1606. Respublica Veneta eosdem tota sua Ditione proscripsit, Bonis ipsorum Fisco publico addictis. An. 1638. Jesuitæ ex Insula Malta, ob insolentias, ab Equitibus Ordinis S. Johannis facessere jussi sunt.

Et hæc sufficere poterant; nisi, ut de POLONIA speciatim nonnihil adjiceretur, Instituti ratio exposceret. In hoc Regno Societas Jesuitarum à longo tempore floret, in eo tamen Sedes, non sine Lucta & Certaminibus obtinuit.

Initium factum an. 1564. cum multis, etiam Catholicis contranitentibus, Vilnæ primum Gymnasium ei Ordini erigeretur, brevi tempore per totum Regnum incrementa habituro. Veruntamen Johannes Zamoscius, Regni Cancellarius, Vir illustrissimus, cum. an. 1594. Academiam in Urbe sibi cognomine aperiret; Professoribus eximio Stipendio ad

eam

eam Cracowiâ invitatis, è Societate Jesu nullos in ea admisit, teste Thuano, Lib. CXXXIV.

Paulo post in Polonia periculosè tumultuatum fuit ea, Nobilitatis contra Regem Confœderatione inita, quam ROKOSZ ipsi appellant, & quæ an. 1607. in nervum eousque erupit, ut ad Arma & Prælia deveniretur, quo tempore non Scriptis minus quam Armis certatum fuit; *Reposita inter hæc in Jesuitas superiore anno instituta Querimonia prolixo Scripto, quo in Jesuitarum præfervidam satagendi in rebus civilibus diligentiam, omnium turbarum, quæ multis abhinc Annis Regna turbarunt, invidiam rejiciunt;* Post multa, tandem subjiciunt, *Samoscium, Virum Sapientissimum, in Academia sua Jesuitas non admittendo, Documentum sibi dedisse, quod sequantur, & cum eo persvasum habeant, Literas, contra quam a plerisque magno errore creditur, his hominibus carere posse. Eos proinde ut Reipublicæ noxios, ad institutionem puerilem in Literis inutiles, si pacate vivere cupiunt, Polonos Decreto publico ejicere debere, amplissima Vectigalia, quæ possident, Scholis Antiquis & Xenodochjis assignare; ejectis autem cavendum, ut nullo casu aut occasione rursus admittantur.* Quæ polixius apud Thuanum videri possunt, Hist. Libr. CXXXVIII.

Idem Historicus etiam Epistolam cujusdam STANISLAI PRZOWSKI *Lublinensis* conservavit, ab eo in Gymnasio Patavino literis operam dante, ad Antonium Possevinum S. J. illius Collegii primarium Sodalem scriptam: qua Jesuitas *nimia satagendi cura, non solùm in illis ad septentrionem positis Regionibus, sed & aliis, multa infeliciter peccasse & turbis ubique causam dedisse arguit, recenti ante omnia Demetrii crudeliter occisi exemplo proposito, quem illi instaurandæ Religioni ad imperium provexisse gloriabantur ...* Sequuntur alia magni momenti exempla, qua ratione Jesuitæ *præfervidis suis Consiliis* & Civili Statui & ipsi Ecclesiæ nocuerint. Addit denique, *Monarchiam illos in Ecclesia Catholica moliri, etiam Pontificis potentiæ, quem in speciem tantopere extollunt, si occasio ferat, frenum imponere paratos, ut eam Pontifici oblatam in se transferant. Gregorio XIII. optimo & indulgentissimo Seni tota vita imposuisse, & largitiones immodicas ab eo emunxisse, ac postremo pro tot benefactis ridiculo Legationis Japoniæ Choragio morienti illusisse .: Pari impudentia Clementi VIII. cordatissimo & moderatissimo Pontifici operam suam venditasse, mentione injecta de Silvestro Aldobrandino* (Nepote Pontificis) *Bosnæ creando Rege ... Sic Persarum Regis, ad fidem scil. convertendi, Legatum subornatum, & de Delegatis è suo Sodalitio ad ipsum mittendis rumor de industria sparsus ... Sed omnem fidem superare, quod Jesuitæ nuper tentaverint, ut Confessiones & Absolutiones per Epistolas explicarentur, & acciperentur, quo semel recepto institoriam tabernam aperiri, qua Sacerdotes, sicuti Placentiæ Nummularii hodiè de pecunia, sic de peccatis contrahant, & discusso trajectitiarum confessionum Kalendario delegatæ Absolutionis fidem turpissima Nundinatione cauponentur, cumque ubique adesse non possent, omne conscientiarum Forum etiam absentes ambitiosè occupent ... habere in ea Societate omnia vitiorum genera patrocinium & excusationem &c.* Sequuntur adhuc varia graviter dicta, sed nobis non licet esse prolixioribus. Qui volet, insignis Epistolæ argumentum integrum apud Thuanum legat, Libro CXXXVII.

Notabile est, & vulgo vix probabile, quod Auctor allegatæ Epistolæ Jesuitis imputat, ipsos *præfervidis suis consiliis & civili Statui & Ecclesiæ nocuisse.* Sed idem etiam alii majoris Auctoritatis Viri in Jesuitis notarunt. Etenim Jesuitas Sigismundo III. Regi Pol. Regni Suecici amittendi Duces & Auctores fuisse, Paul. Piasecius * Episcopus & Historicus gravissimus non obscurè docet: *Habebat*, inquit, *in Comitatu suo Nuncium Papæ Milaspinam, virum sagacem, sed nimium præcipiti consilio,*

* *Piasec.* ad Ann. 1594. pag. 134. Edit. Crac. 1645.

lio, *aderant & Jesuitæ plures, quorum apud Regem præcipuam auctoritatem fuisse, ab ejus infantia Sveci noverant. Horum itaque vehementiore & intempestiva pro Religione Catholica contentione Sveci provocati &c.* Hocque modo & Rex hæreditarii Regni Sveciæ jacturam fecit, & Religioni Romanæ aditus in Sveciæ Regnum præclusus fuit.

Neque verò eidem Regi in ipsa Polonia non æque infelices Consiliarios Jesuitæ sese præbuere, Rege & Republica in gravia discrimina adductis. Sic an. 1606. in Tumultu illo *Rokossianorum*, cum de pace inter partes ageretur, *Rex à Petr. Skarga, Hispano, ex Jesuitico Sodalitio, sicuti jactabatur persvasus, abrupto Pacis Negotio, eos armata manu invadere decreverat, nisi plerique milites prælium* (civile & intestinum) *detrectassent.* Pacique maximè obstabat, quod *Jesuitæ, qui consiliis exoticis, ut illi ajebant, fere reguntur, auctoritate in Aula Sigismundi R. pollebant.* Ita hac de re Thuanus Libr. CXXXVI. paulo verecundius; sed consentientem sibi habens P. Piasecium, qui ad an. 1616. (pag. 358.) Aulæ hujus faciem audacius ita describit: *Cubiculi Regii Præfectus, Andreas Bobola, octuagenarius, homo rudis, morosus, promotus ad istud Officium patrocinio Sacerdotum Societatis Jesu, quod illis in omnibus consentiret. Unde utrique conjuncta opera in privatis Colloquiis, quæ ipsis semper patebant, solicitantes Regem ita constrinxerant, ut omnia ipsorum consiliis ageret, & Aulicorum spes & cura non nisi ab eorum favore penderent: NB. quin & in publicis negotis isti suggerebant quid Rex decerneret, tanto majori Reipublicæ periculo, quod ad hujusmodi familiaritatem Regis assumebantur Personæ (præsertim Confessor & Concionator) à Scholis vel à Magisterio Novitiorum Religiosorum, rerum & status Politiæ prorsus expertes: NB. hæcque causa unica fuit errorum, non in domesticis solum, sed & in publicis, ut Moschicis, Sveticis, Livonicisque Regis rationibus, & tamen penè Sacrilegii crimen reputabatur, si quis eorum dicta factave reprehendisset, & nemini qui ipsis non applauderet facilis ad dignitates aditus patebat.* Et mox ad an. 1618. (pag. 371.) Auctor non satis approbare videtur, quod *turpis proditor Farensbachius ad Aulam Regiam reversus, satis benevolum Regem habuerit, solo Michaële Bechano Sacerdote societatis Jesu, Regio Confessore, reconciliationis ipsius arbitro, imò & totius illius Scenæ conscio.* Lepidum verò est, quod idem illustris Historicus, ad An. 1621. (pag. 413.) refert, Jesuitas, qui novi tunc adhuc in Urbe *Riga* in Livonia, advenæ erant, intra 39. annos, nempe ab an. 1582. ad 1621. *prope quadringentas controversias forenses apud Regium Judicium cum Rigensibus agitandas habuerint, hosque ea re exacerbatos eousque impatientiæ processisse*, ut *Ulricus* Syndicus illius Civitatis aliquando perorans coram Rege & frequenti Senatu, prorumpere in ista verba ausus fuerit: *Verendum esse, ne ad desperationem talibus controversiis Civitas adducatur.* Neque prædictioni eventus defuit, Rigensibus à Gustavo Sueco dicto anno obsessis, cum Urbem diutius defendere possent, ei se dedentibus.

Famam verò de Jesuitarum *Polypragmosyne* non temere natam fuisse, vel inde apparet, quod Præpositus Generalis Jesuitici Sodalitii, AQUAVIVA, an. 1593. Provinciales & Rectores universi Ordinis, Romam ad Generalem Congregationem evocavit, & Decretum fecit, *ut ab omni specie mali abstinerent, nec quisquam publicis, & Secularium Principum negotiis ulla ratione se immisceret.* Decretum pium, sed cui si superius adductos Testes aliosque audimus, neque ipsi Generales, neque Provinciales, neque Socii, morem vel gessisse hactenus, vel in posterum sponte sua gesturi, videntur.

Qui vero præfervida & præcipitata Jesuitarum Consilia tanquam ipsi Ecclesiæ Romanæ nonnunquam noxia queruntur, Experientiam testem appellant; quâ constet istius Ordinis homines an. 1562. & 1596. *Scotiam* adhuc nutantem; an. 1594. *Sveciam*: an. 1688. *Magnam Britanniam* violentis Consiliis & Factis suis amisisse. Ut quæ nostra ætate in Regno *Siamensi* similiter gesta sunt, prætereamus.

Sed in viam, de qua nonnihil decessisse videmur, redeundum est. Propositum erat dispicere an in ipsa quoque Polonia, Jesuitarum cæteroquia propensissima Nutrice, Altriceque indulgentissima, reperti fuerint, qui sinistrum de hoc Ordine judicium tulerint. Adduximus ejus rei Exempla quædam; maximi tamen hac in Causa ponderis esse arbitror Sententiam antiquæ illius & toto Regno celeberrimæ ACADEMIÆ CRACOWIENSIS; quâ allatâ, toti huic Dissertationi Colophonem imponam. Et dictæ quidem Universitati cum Patribus Jesuitis inde ab horum in Poloniam Adventu Lites intercessere, verum missis aliis, sequentia tantum annotasse sufficiat.

Annus 1622. notabilis & nobilis propter hanc ipsam Controversiam fuit. *Acta* satis prolixa extant in *Mercure Jesuitique*, Tom. I. pag. 76. seqq. Cardo rei in eo consistebat, quod Jesuitæ, Aulæ favore subnixi, pedem in Academiam Cracowiensem, invitis Academiæ Proceribus inferre conarentur. Ventum tunc ad *Protestationes* & *Reprotestationes*, imo ad Jurgia & Studiosorum utriusque Partis Pugnas. *Academici* in *Responsione* sua ad Protestationem Jesuitarum, his exprobrant, quod cum *Societatem suam Magistram Morum, & Mundi Reformatricem profiteantur, sint tamen Homines hujus Seculi mores egregie possidentes, qui si cui ægre facere cupiunt, ei dant blanda verba: Hypocritæ homines, corde duplici, lingva perforata. Improbi & Calumniatores. Qui omnes excommunicandos censent qui eos sinistro Oculo adspexerint. Nugatorum omnium audacissimi, sub quibus immanis fastus & exitio suo proximus latet. Nullam habentes frontem. Homines mala fide. Qui Majestates ad tegendam suam insolentiam adducunt. Parietes dealbati. Calumniarum Lerna. Quos Princeps mendacii excæcavit. Dii vos magni & minuti, Patres, quanti nugatores estis, omnium Mortalium summè improbi & maligni. Ebrii a poculo ejus quæ sedet supra bestiam coccineam, sua vitia magnatum titulis velantes. Sejani apud Principes.*

Perver-

Perversum verò Jesuitarum *in erudienda Juventute Institutum, & exile* quod *ad Rempubublicam* inde redundare queat *Commodum* his, & similibus, verbis perstringunt: *Collegium Jagellonianum, Professoribus plus octoginta constans, quorum infimus cum optimo Vestrum comparari possit . . . Postquam Literæ Vanitate vestra coinquinatæ sunt . . desiere Literæ, desiit eruditio, species Virtutis pro re est, fucus pro Veritate . . . Putatis nempe, Patres, Poloniam ignorare, vos, cum per totum Regnum habeatis annui reditus plus quadringentis Millibus, tanto sumptu, tamque insano, Oratorem nullum, Historici Politici ne umbram quidem, Semitheologastros scholasticos aliquot, Philosophum sesquialterum, qui non dicere, sed dictare duntaxat scit, habere? Sub horum verò Vexillis, & pallio, aliquot millium gregem solis factionibus, practicis, captandis animis muliercularum, re augenda versari, melioresque se inquietare? . . Nimium degenerastis, nimium saturati estis, nimium vos rerum omnium copiâ fortuna blandiens implicuit, plus commodorum, voluptatum, & rei habetis, quam ut ad duram discendi primum, demum docendi Provinciam pistrinumque, redigi valeatis . . . Miris modis Juventutem sollicitare scientes, non ut eam doctiorem, sed ut sua Collegia frequentiora ad speciem faciant . . . Convocantes Juventutem per Imagunculas, per sollicitationem Matrum, per Cantilationem Calumniarum . . . Gnaviter impudentes . . . Qui putant se solos Ecclesiæ & Reipublicæ natos, cum tamen nihil minus unquam cogitent, quam his prodesse.*

Porro *Jactantiæ & vanæ Arrogantiæ* Jesuitas reos peragunt, aliquot ejus rei Speciminibus allegatis. e. g. *quod in Pompa Canonizationis S. Ignatii, Orbem Polonum cum ipsis Aquilis, & circumstantes Iesuitas illum sustinentes circumtulerunt*, quasi scilicet ipsi Atlantes illi essent qui Orbem Polonum suis humeris portarent: item, quod *Ignatium pinxerunt Populoque monstrarunt, totum terrarum Orbem tenentem, atque Ignem ex corde suo ebul-*

lientem,

lientem, eoque Orbem irradiantem, cum Symbolo Scripturæ, VENI IGNEM MITTERE, item, *quod Deum Patrem introduxerunt Urbem Romam & Terrarum Orbem, non soli Petro, sed etiam Ignatio commendantem &c.*

Denique Responsi finem faciens Academia, Patribus valedicit dicto B. Hieronymi: *Benè, quod malitia non habeat tantas vires, quantos conatus: perierat Innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum quicquid cupit Calumnia, prævaleret.*

Ao. 1725. *Academia Cracowiensis* (Verba sunt Piasecii, pag. 453.) *Grave Certamen habuit cum Religiosis Societatis Jesu, qui ANTI-ACADEMIAM, seu aliam Academiam & Scholas instituti sui publicas, adjuti favore Regio & Episcopi Cracowiensis, Cracowiæ aperuerant, ac ultimum Academiæ tam claræ & vetustæ (A. C. 1344. 17. Aug. fundatæ) excidium illud futurum erat, cum Discipuli novarum rerum cupidi Gymnasia illius Academiæ veteris deserturi viderentur, & ejus Doctores omni patrocinio destituti (etiam Curiæ Romanæ Mandatis oppugnabantur) de conservando Statu suo desperarent. Tanto magis, quod neque vis defuit Armorum, quibus aliquot Studiosi Academiæ oppressi occubuerant, & plures sæpius ad carcerem Arcis Cracowiensis abducebantur, orta aliquali contentione cum Iesuiticis, a quorum partibus erat Præfectus Regius illius Arcis, Gabriel Comes à Tarnow, & omnes ejus Ministri. Concordiam quæ obtrudebatur, aliqui volebant: Sed quæ firmaret jus novæ Scholæ Iesuitarum, Academiæ verò infringeret, iterumque infringi posse doceret, & novi nil præstaret Academicis. Unde Academici senes cautiores litem apertam paci inutili & periculosæ prætulerunt, nec facilius* Academiam cum Scholis Jesuiticis coire, quam mare Cœlo misceri posse *judicarunt. Sicque fortiora potius quam pacatiora consilia sequuti, evaserunt tandem ex illo periculo auspiciis novi Regis Vladislai postquam aliquot annis in forensi jurgio penè succubuerunt.* Hactenus Piasecius, qui allegatis Verbis non Academiæ Cracowiensis magis, quam & proprium

proprium *de Jesuitis Judicium expromsisse dicendus est.*

An. 1627. d. 29. Jul. Academia Cracowiensis ad Acad. Lovaniensem Literas dedit, quibus suam de Jesuitarum Ordine sententiam minimè obscurè exponit: *Illis mos est ubique res humanas aucupando, cælum jactare . . . Fuci Scholastici, primo Agninam præ se ferentes, leoninam tandem, ubi vires sumserunt, induentes. Exhorruimus colubrum enectum gelu in sinu Matris ponere; unanimique consensione illud decrevimus, ne quisquam Consociationis & concordiæ cum hac INSOCIABILI SOCIETATE hominum mentionem faceret . . . Novi Præceptores, qui Luxu & petulantia, non Virtutis Studio cathedras erigunt . . . Ubi dolo non procedere vult, ad vim, calumnias & artes Aulæ convertuntur . . . Conquirentes vicatim per Suburbia Discipulos & greges nebulonum . . . Semel & iterum urbem sangvine innocentissimo complevere, & cum satietas cædium non caperet Jesuitas indignitas facti barbaros, quos illi ad hæc præclara facinora conduxerant, & tædium & misericordia cepit. Fascino quodam Principum sibi devincientes benevolentiam. Sanctuli. Surreptitiis furtivisque Privilegiis agentes. Fortunæ nepotuli . . . Certè hac, quam concitarunt, Controversiâ, ostenderunt demum Jesuitæ orbi nostro, se non esse id quod minabantur, illa Sanctitate & Innocentia; credamusque voce Populi tanquam Dei, & internis conscientiæ ictibus eos discerpi & miserè dilacerari, quicquid vultu simulant, & fronte mentiuntur . . . pessimæ, & nimium omnibus notæ, eæque infinitæ Artes Machinationesque Jesuitarum. Eruditio illis apud nos adeò tenuis, ut quod de regno literario ab eis occupando metuitis, nobis videatur illos aliud quippiam quærere quam Literas, utpote quibus ad Sapientiam triennium præscriptum est, ad acquirendas opes Seculum non sufficiat . . . quantum nobis antè formidabiles essent nomine Literarum, tantum nunc contempti & abjecti jacent, & brevi magis atque magis tales futuri, scilicet qui Labori, & magnis illis laboris & sapientiæ Sacerdotibus, Academicis inquam (suas illas Scænicas & plebejæ O-*

)( )( )( )(pinio-

pinionis varietate coloratas Scholulas erigendo) *sempiternum bellum indixere*; & quæ hujus generis plura sequuntur, aliqua similitudinis cum Gestis nostri temporis Vestigia non obscure præferentia.

Fuerunt ergo etiam inter POLONOS emunctioris naris Viri, quibus Jesuiticæ Societatis Institutum & Mores non usque adeo probabantur, & qui (ut paulo superius ex *Przowskio* audivimus,) *Jesuitas Monarchiam quandam in Ecclesia Catholica ita moliri* suspicati sunt, ut *ipsi Pontifici Maximo*, si ipsis contrarius sit, *frenum imponere sint parati*. Id equidem à Veritate abhorrere plerisque videbitur, qui Patres istius Societatis tanquam Prætorianos Pontificis Maximi Milites, primariosque Sedis Apostolici satellites venerantur; sunt tamen qui contrà censeant, Jesuitas id agere, ut sub specie tuendæ Autoritatis Pontificiæ, propriam quam maximè stabiliant, Pontificiæ illi derogaturi, si ea suæ officiat. Opinio ista non caret veri specie. Etenim *Metteranus* gravis Auctor, Lib. XVI. e Scriptoribus quibusdam Pontificiis refert, cum Sixtus V. P. M. in Senectute non admodum faveret Jesuitis, reprehendens eos, quod mallent *Iesuitæ* à Jesu dici, quam *Ignatiani* ab Ignatio, eam rem tantum odii ipsi conciliasse, ut in Hispania, publicè *Lupus* & *Lutheranus* in Concionibus a Jesuitis proclamaretur, eaque res ipsi mortem accelerare.

Neque verò id ab omni probabilitatis specie abludere iis videbitur, qui geminum quidpiam in ipsa Polonia noviter observaverint. Etenim ab hinc biennio circiter, postquam *Innocentibus XIII.* iniquum illud & crudele Decretum, quod in Tribunali Lublinensi contra Gnos. *Sigismundum ab Unrug*, ex capite prætensæ Blasphemiæ latum fuerat, irritum pronunciasset, Jesuitæ in Polonia, & ab iis edoctus Magnus quidam Prælatus, (cujus Nomini parcitur) Innocentium, *Papam Lutheranum* appellavere, eâque propter festinâ morte (neque enim in illo fastigio tres annos compleverat) sublatum fuisse, quod Decreto, Jesuitarum quam maximê operâ obtento, esset adversatus.

Huc accedunt Acta Jesuitarum sub Antecessore Innocentii *Clemente* XI. Pontifice, ab iis etiam qui Ecclesiæ Rom. non sunt addicti, admirationem & Venerationem promerito, cujus pios in Causa *Cultus Sinensium Idolatrici*, contra Jesuitas Conatus, isti, cum aperta vi oppugnare non auderent, suffossis cuniculis, in opprobrium Sedis Romanæ, ejusque ad Sinenses Legati, eluserunt; prout toti Orbi, qui Tragœdias illas spectavit, notum est.

Imprimis verò attentionem nostram merentur, quæ hoc ipso die in magno Orbis Theatro geruntur, inque omnium oculos incurrunt. Quis nescit *Benedictum XIII.* Dominicanorum familiæ & Dogmatibus innutritum, hisque propagandis intentum, à Patribus demum Jesuitis novam Theologiam priori oppositam, discere & profiteri coactum esse? ut adeo manifestum sit *Infallibilitatis* Axioma à Sede Petri in hanc Societatem esse translatum, & Jesuitas ipso Infallibili esse infallibiliores.

Ex eorum *Polonorum*, quibus Ordo iste displicebat numero erat etiam *Auctor Anonymus*, CONSILII, quod jam denuò vulgamus. Natum illud erat in maximis illis turbis, quæ Regnum Poloniæ an. 1606. & seq. conquassabant, quo tempore primùm *Polonicè* editum, mox autem an. 1607. in *latinum* conversum fuit; recudendum eodem illo anno *Upsaliæ*, & an. 1609. alicubi in *Germania*, sine loci indice; denique *Francofurti ad Mœnum*, an. 1632. Comiti *Axelio ab Oxenstirn* tunc dedicatum. Præsens Editio ex *Upsaliensi* illa expressa est.

Habes ergo, Lector, Viros Communionis Romanæ, Opinionis de Jesuitarum Societate & Meritis diversissimæ. Si post auditas tot aliorum Sententias, meam denique requiris, verecundè habe:

Non nostrum inter Vos tantas componere lites.

Tu, Lector, ut es Sapiens, positis præjudiciis,

LEGE, EXPENDE, JUDICA.

21



De Diogene illo Cynico Græca Hiſtoria narrat, Eum, cum aliquando Athenienſes videret in publico periculo ſollicitè concurrere, bellumque pro patriæ defenſione non citra animorum perturbationem moliri, ne in publica illa ſollicitudine ſólus nihil ageret, cum armis tractandis per ſenectutem etiam minus habilis eſſet, dolium, in quo ex inſtituti ſui more habitare conſueverat, ſurſum deorſum volvere cepiſſe.

Hoc factum, ut inſolens, cum varii variè interpretarentur, prudentiores judicabant, Virum acutisſimum hac ratione docere voluiſſe: in publico patriæ periculo nullum ingenuum civem ocioſum aut ſecurum eſſe oportere, cum potius ſinguli ita ſe comparare debeant, ut, ſi opere non posſint, geſtibus ſaltem, aut quacunque re licet, ſuum in Patriam propenſum affectum, juvandæque Reipublicæ ſtudium declararent.

Quod ſaluberrimi præcepti exemplum utinam hodie populares noſtri imitandum ſibi proponerent: Non quidem in eum finem, ut ſua concurſatione exorientes tumultus augeant, oleoque ardenti frigidam ſuffundant: Sed ut pro ſuá potius quisque virili annitatur, quo præſens Patriæ incendium, cujus gliſcentes favillæ jam nimis diu & ſatis oſcitanter neglectæ ſunt, latisſimè

ſimè jam vagans reſtinguatur, pacatisque animis Reipublicæ tandem firma & ſolida pax reſtituatur.

Neque ſanè dubito, quin talium ubicunque plurimi ſint, qui Reipublicæ nec hîc nec alibi defuturi eſſent, ſi tantum haberent, qui in tanta rerum & animorum disſidentium confuſione fideliter indicarent, quid facto potisſimum opus eſſet. Ego igitur, qui corpore hactenus per DEI voluntatem, quàm minimum valeo, ut ea ſaltem mei parte, quæ adhuc mediocriter viget, Reipublica præſto ſim, hunc ipſum laborem in me recipere decrevi: non quod ad id ego omnium maximè idoneus ſim, ſed quod aliud in præſentia efficacius auxilium Patriæ præſtare nequeam.

Itaque hoc ſcripto demonſtrare conabor, quæ in hoc publico incendio potisſima & omnium periculoſisſima flammæ vorantis materia ſit, & qua ratione illa igni depaſcenti ſubtrahi, ſedatisque animis factionum disſidentium æſtus imminui & paulatim extingui posſit. Nec video quibus in rebus, quove conſilio Civis bonus hoc tempore operam cogitationesque ſuas ſalubriùs & utilius conſumere queat.

In hac autem commentatione vos potisſimum, Illuſtrisſimi Proceres, compellare decrevi, Et hoc iterum non propterea, quod in argumento tàm arduo & difficili, tantæque inſuper invidiæ expoſito, aliquid veſtro judicio dignum me afferre poſſe confidam: Sed quod ad vos veſtrum officium (dummodò in eodem Reipublicæ benè conſulere volueritis) revocare, omniumque bonorum & Reipublicæ tranquillitatis ſtudioſorum civium deſideria, earumdem rerum ſeriam curam vobis imponere videantur. Plenus autem ſpei ſum, futurum, ut ſi fortè non omnia mea vobis probavero, aliquid ſaltem ex hoc quisquiliarum acervo granorum colligatis: Aut ſi ne hoc quidem aſſequi potuero, vos ſaltem ex errore meo meliorum ſaniorumque conſiliorum occaſionem arripiatis. Utcunque autem res cadet, mihi

hi ſufficiet, ſi vel inane dolium verſando Reipublicæ in rebus tàm arctis, ſi non operam, affectum ſaltem meum probem & teſtatum faciam.

Hic autem ſi ordine velim procedere, neceſſario aliquid primum de ipſo morbo, quo Respublica noſtra laborat. Deinde de ejus cauſis erit dicendum. In harum enim diligenti rerum inveſtigatione certaque cognitione, eruditiores Medici primum ad reſtituendam ſanitatem gradum non abs re conſtituunt.

Et quod ad morbum attinet, res ſubtili inquiſitione minimè indiget, ſub hoc utique rerum ſtatu: majoris tamen perſpicuitatis gratia, mali noſtri publici univerſum complexum ad tria capita refero: ſub quorum primo comprehendo periculoſam illam diffidentiam, quæ inter ſubditos hujus Regni & ſupremum noſtrum Magiſtratum intercedit. Secundum in illo disſidio agnoſco, quod inter Status, quos vocant, hoc eſt inter ordinem Eccleſiaſticum & civilem ſeu Equeſtrem in hoc Regno gliſcit, Patriæ que jam diu inſigne aliquod malum minitatur. Sub tertio illud inuſitatum inter Polonos factionum ſtudium intelligo, quo Ordo Equeſtris hoc præcipuè tempore ita graviter laborat, ut ad efficax aliquod remedium malis publicis adhibendum, nec virium ſatis, nec ſufficientem autoritatem habeat. Quæ patriæ noſtræ peſtis, à paucis annis eò usque excrevit, ut extincto generoſo fraternitatis Polonicæ candore, alter alteri ſuſpectus eſſe incipiat, ut nulla ferè amplius ſermonis; nedum conſiliorum libera nobis communicatio reliqua ſit.

Hæc inquam tria nos premunt; Poloniæque nî rebus aliter proſpiciatur, gravisſimè minitantur; Ut quorum ea ſit ratio, ut unum aliquod illorum ad maximum Imperium evertendum ſufficere queat. Quod omen DEus Opt. Max. prohibeat & à nobis clementer avertat.

Ad cauſas vero iſtorum malorum quod attinet, res in hoc publico disſidio & mutua partium incuſatione infinitis ferè difficulta-

ficultatibus implicata eſt, ut vix quisquam eam ex ſuo ſenſu decidere auſit aut definire.

Quid enim hodie majori contentionis nixu inter nos agitur, quàm ut alter in alterum turbatæ Reipublicæ culpam transferre conetur? Ubi tamen in eo ferè utrobique peccatur, ut morbus ipſe morbive ſymptomata ſæpius pro ejusdem cauſis arripiantur: ut quia verbi gratia præcipuam doloris vim circa caput ſentimus, ibidem & principalem morbi cauſam latere exiſtimemus, ut hoc ſolùm & immediatè velimus curari. Non aliter quam ſi in ardente Cauſone aliquis ægroto cranium perforare, æſtuantesque vapores emittere vellet: Cum ſi peritis Medicis auſcultaremus de fonte nobis potius cogitandum eſſet, ex quo hæc injurioſa capitis gravedo ſcaturit & exhalat.

Nec in eo parum ſitum eſt, cum hic error qui in cauſarum indagatione committitur in omnibus diſciplinis latisſimè graſſetur: in Politia tamen rerumque Politicarum tractatione longè frequentiſſimè occurrit, & ibidem multò quàm alibi periculoſior eſt, ut qui in publicam ſalutem peccet, & ſic omnium & ſingulorum res & fortunas ſecum involvat.

Mihi ergo ne idem accidat, omisſis illis disſidentium mutuis accuſationibus, quarum ego Judex eſſe nec poſſum, nec volo, generales cauſas perſequar, indicaturus, qua ratione illæ, ſi non tolli, minui ſaltem & ſenſim mitigari queant.

Cauſæ verò vel internæ ſunt vel externæ. Internas voco quæ ex ipſius corporis Polonici fatali Cachexia exortæ ſunt, proximamque morbo materiam ſuppeditant, eundemque fovent & nutriunt. Externæ mihi ſunt, quæ materiam hanc peccantem & ad morboſum habitum diſpoſitam movent, proritant, impellunt & exaſperant.

Ad internas præter illa privatorum peccata, quibus Dei ira quaſi ordinariò provocatur, quæ propterea omnibus à condito mundo Rebuspublicis exitium attulerunt, & quibus Polonia noſtra hodiè, proh dolor, ſaltem non obruitur, in ſpecie refero

refero Religionis illud disſidium & factiones, quarum occaſionem turbulenta & ambitioſa ingenia ex eadem cauſa arripiunt; Rei inſuper familiaris avarum ſtudium, publicæ verò ſupinum neglectum.

Veritatis odium & periculum; hypocryſeos verò aſſentatoriæque adulationis ſtudium & favorem: Juſticiæ depravationem, Injuſtitiæ verò palliationem.

Fortitudinem domi militiæque in odium & ſuſpicionem vocatam, degenerem verò ignaviam cultam promotamque; Ambitionem ſine meritis, Ignaviam ſine virtutis æmulatione; Innocentes oppreſſos, ſceleratos defenſos; Imbellem Innocentiam periclitantem, præferocem opibusque ſuffultam; improbitatem palàm dominantem; virtutem denique neglectam, hypocryſin præmiis ornatam.

Hæc & his ſimilia alia Corporis Polonici vicia ſeu potius fœda ulcera ſunt; talia nimirum quibus regna circa ſuas fatales periodos ut plurimùm obnoxia eſſe conſueverunt. Ad quæ ſananda nobis certiore, quàm qualem humana ratio præſtare queat ope opus videtur. Quæ enim tam longo temporis tractu inter nos ita invaluerunt, ut actis altisſimis radicibus in ipſius Regni habitum jam quaſi converſa ſint, non video qua ratione hoc exulcerato ſeculo, paullò acrius circa ægroti periculum moveri queant, nedum ut illa ſubitò eradicari poſſe confidam, ut multorum haud dubiè inconſulta patientia optat. Ideoque circa hoc genus cauſarum ita nobis procedendum exiſtimo, ut cohibitis prius & amotis externis & irritantibus cauſis, illarum fervidiorem motum primum utcunque ſiſtamus, & deinceps per temporis ſucceſſum (quo hujusmodi Chronici morbi magis quàm medicamentorum violenta operatione curantur) materiam hanc peccantem ſubtractione, alteratione, digeſtione &c. edomemus; Sic ſtatuentes nobis in magna felicitatis parte reponendum, ſi DEI beneficio nobis contingat, ut navim noſtram ſub hac

hac fatali Europæ tempestate ita gubernare possimus, ut scopulos ad quos plerique hactenus ante oculos nostros gravissimè impegerunt, vel cum jactura aliqua evitemus.

Ad has ergo externas causas quod attinet, quarum sunt hæ illæ ipsæ, quæ hactenus in reliquis Europæ regnis eandem tempestatem excitarunt, cujus fremitum jam ab aliquot annis inter nos non citra horrorem animadvertimus: Quarum impetus à meridie & occidente per contigua Europæ progrediens, nostrum hunc Septentrionalem ortum, ceu turbo quidam videtur invadere. Ubi tamen DEI Opt. Max. Clementia Poloniæ hoc præ aliis Europæ nationibus benignissimè indulsit, ut pestis hæc nos serò tentare ceperit, licet causæ intestinæ in Polonia à multis annis, non minus quàm alibi conspicuæ fuerint.

Quod ingens DEI beneficium inter alia, hoc nobis (dummodo eo uti voluerimus) præstare poterit, ut reliquorum Europæorum sub eodem morbo symptomata, casus & pericula, cum medicamentorum adhibitorum in utramque partem eventus observare, & in rem nostram convertere, & sic alieno periculo cautiores fieri possimus.

Ad quam felicitatem nobis tantò felicior aditus hoc tempore patet, quod tumultus illi non solum in recenti memoria & multis nostrorum ex oculari inspectione noti sint: sed quod plurimi insuper præstantes Viri, in singulis ferè nationibus sub ipsum morbi æstum de exorientium turbarum remedio, sua nobis eruditissima consilia, adeoque etiam acres interdum disceptationes, publicè communicarunt. Quorum veritatem sicut & errores eventus ipsemet ad nostrum percommodum usum, utrobique detexit.

Horum igitur ductum si sequamur, apparebit omnes Europæ ferè Regnorumque Europæorum ab annis 60. & circiter, turbas & seditiones (quarum nonnullæ valdè cruentæ & periculosæ fuerunt, & adhuc sunt) primam suam & generalem originem ex præsenti Religionis dissidio traxisse. Sed ita ut prudentissimus quisque non tam ipsum dissidium, quàm ejusdem componendi modum accuset, qui nempe sua viciositate hæc periculosa morbi Symptomata causatus sit.

Hoc ipsum verò ut ii, qui in his rebus minus exercitati sunt, melius intelligant, rem sic explico.

Certum est Pontifices maximos cum Consistorio suo hactenus vehementer annixos esse, ut Imperium Ecclesiasticum, per superioris seculi motus haud leviter concussum, in pristinum statum restituerent, suamque per Europam Jurisdictionem plenè recuperarent.

Opus profectò magnum & arduum, cui melioribus mundi temporibus peculiari fortunæ afflatu opus fuisset: In quo etiam tantus hodie & tam contentiosus animorum obfirmatorum nixus & renixus deprehenditur, qui vel ipsius Alexandri victoriosum genium frangere & debilitare queat. Illi tamen hoc ita aggressi sunt, ut primum Religionis & Ordinis Ecclesiastici quandam reformationem publicè conceperint, cujus tamen capita non aliò, quam ad eum quem diximus scopum directa erant.

Instituta ante annos 50. Cleri & Catholicæ Religionis reformatio, primam Europæis tumultibus occasionem præbuit.

Cumque ejus rei difficultatem ipsimet probè perspicerent, ut quibus negotii totius vitia optimè nota erant, inita sunt varia consilia, quæ cum paucissimis, ex ipso etiam Principum ordine, communicata sunt, per quæ objectas difficultates superari, remque promoveri posse sperabant.

Ad quorum executionem delecti sunt & operose instructi certi homines, qui Regibus apud subjectam multitudinem glaciem frangerent, factique non admodum grati invidiam quantum verbis possent, lenirent.

His ad eum modum comparatis, res omninò successura putabatur, quam propterea ii, quibus Provincia hæc extra Ordinem,

nem, uti dictum est, assignata erat, magno animo aggressi sunt, eamque fideliter urserunt. Eventus tamen longè alius, quàm qui sperabatur, secutus est. Siquidem conatus iste tàm graviter ubique impegit, ut turbas longè maximas pepererit, Egoque affirmare ausim, omnes ferè Europæ intestinos tumultus, quibus ab annis fermè 50. ex quo nimirum prædictæ Reformationis negotium seriò urgeri cepit, quatitur, ex hac capitali scaturigine promanasse.

Modus institutæ reformationis vitiosus.

Quod ipsum tamen ea conditione affirmo, ut non tam ipsam reformationem (quamvis ne hæc quidem, ut jam dictum est, omnem fraudis suspicionem effugere potuerit) quàm ejusdem exequendæ modum accusem. Hic enim cùm perversè institueretur, illas turbas excitavit, quarum dubius eventus adhuc orbem Christianum sollicitum & suspensum tenet.

Hoc autem si quis fortè apertius sibi declarari cupiat, sic habeto. Institutæ Reformationis hoc præcipuum vitium erat; Noverant enim illi omnium mortalium votis id unicè expeti, ut vetus disciplina Ecclesiastica restitueretur, Cleri mores seriò emendarentur, abusus nimium conspicui abrogarentur. Expetebat autem hoc non tam promiscuum vulgus, quàm ex Procerum numero prudentissimus quisque, qui & Ecclesiæ consultum volebant, suorumque populorum gemitus miserabantur. Sed si verum fateri volumus, Caput hoc admodum perfunctoriè ab universo Clero tractatum fuit, ut qui hoc potius operam dederint, ut suam autoritatem tuerentur, statumque secularem sibi denuò subjicerent, itaque constringerent, ut suæ libertati contra eundem in perpetuum caverent. Ex hoc ergò Capitali errore hæc deinceps executionis vitia prodierunt.

I. Primum utrumque Imperii Europæi brachium aggressi sunt, statum nempe Ecclesiasticum & Civilem sive Religionem & Politiam, cùm alterutrum istorum plus satis negotii eis exhibiturum fuisset.

Dein-

Deinde hos ipsos status inter se ita commiserunt, ut inverso naturæ ordine, Ecclesiastico Agentis, Politico verò Patientis partes assignarint. II.

Coacti denique sunt ad harum rerum praxin mediis in Ecclesia parum legitimis, adeoque violentis & valde odiosis uti. III.

Primum executionis medium.

Et hæc quidem media duplicia fuerunt: Primum hoc præcipuè operam dederunt, ut Regum & Principum studia in hoc opere sibi conciliarent, seque eorum autoritate munirent. Quo ipso nihil opus fuisset, si in institutæ Reformationis negotio recto pede incessissent. Ipsi tamen ut hæc Regum præsidia facilius consequerentur, eosdem communi cuidam fœderi illigârunt, per quod ad prædictorum consiliorum executionem conjunctim obligabantur. Et hinc est illa nostri temporis famata Principum Catholicorum Unio, res per se speciosa, sed quæ Europæ multarum calamitatum causa extitit.

Secundum.

Exinde ad persuadendum vulgus, hujusmodi Oratores delegerunt, quorum opera, in tractando Religionis negocio, legitima quidem fuisset, nec suo fortassis successu caruisset, si intra vocationis, quam verbis præ se ferebant, limites substitissent. Sed illi his transgressis in id ferè principaliter incubuerunt, ut Politias statumque Politicum ad suum propositum conformarent. Et hoc quidem ea ratione, ut ausu periculosissimo publicas Leges & Nationum Statuta, per quæ nempe propositum suum impediri sentiebant, hìc tollere, ibi mutare, adeoque ad suum sensum omnia ubique reformare conarentur.

Horum verò utrumque quantæ invidiæ expositum fuerit, & quantæ per consequens ei difficultates fuerint objectæ, cordatiores facilè intelligant.

Primi medii incommoda.

Quantum enim ad tentatam Regum ac Principum Unionem attinet, illa per se hactenus intra Europam adeò semper diffi-

UnioRegum Europæorum semper difficilis.

difficilis fuit, ut quamvis multi & magni nominis Pontifices in eadem laborarint, ad exitum tamen eam vix unquam potuerint perducere: tum inquam quando unanimi Religionis sensu omnes ducebantur. Qui ergo successus in hac publica opinionum animorum & designationum discrepantia sperari potuit?

Reliquis Regibus suspecta.

Deinde hic ipse in Regibus demerendis & uniendis ambitus ipsum negotium, quod aliàs plerisque non multum placebat, magis, suspectum fecit, partem adversam obfirmavit, eidemque sui muniendi & defendendi necessitatem imposuit. Idque tanto magis quod hæc unio plerisque ad unius saltem familiæ privatum commodum & utilitatem instituta videbatur, ut eidem videlicet jam diu affectatum Europæ Dominium confirmaretur. Quod ipsum quantum institutæ reformationi profuerit, eventus in hunc usque diem testatur.

Ad reformationis executionem parum utilis.

Tertiò, Regum illa Unio, etsi interdum aliquousque processit, ad expectatam tamen rei promotionem, tantum momenti non attulit, quantum plerique sibi polliciti fuerant, idque ex duplici causa: Quod primum Reges & Principes Uniti, utut se interdum Sanctissimis ultrò obtulerint, negotium tamen syncerè nunquam tractarint, ut non multoties, sub ejusdem prætextu, sua privata commoda quæsitarent. Sicut in Galliis non ita dudum manifestò licuit perspicere, quando quidam Rex potentissimus partium Catholicarum patrocinium susceperat, ibi tandem apparuit, Eum sub hoc obtentu Galliæ regnum affectare. Cum enim animadverteret, plerosque factionis illius Proceres ab Imperio Hispanico abhorrere, oblitus personæ, quam agendam susceperat, manus auxiliatrices retrahere cœpit, ut qui videret, se spe sua frustratum. Id quod Sixtus V. tempestivè subodoratus est & ægerrimè tulit.

Hispani sub prætextu Religionis Monarchiam suam amplificare conantur.

Talia autem plura exempla adduci possent, ex iis etiam quæ nos propius tangunt. Ex his ergò personatis & malefidis Principum molitionibus, in Unionis agro perpetuarum simultatum copiosissima seges indies succrescit, per quas prædictum Reformationis opus magis turbatur, quàm promovetur. Quodque deinceps illorundem Regum conatus, ubi etiam seriò rem egerunt, per illam edictorum severitatem, subditis magis invisum fecerunt, quàm commendarunt.

Severorum edictorum in causa Religionis effectus.

Cum enim omnis coactio menti humanæ gravis & molesta sit, tum illa inprimis animum liberaliter institutum enormiter lædit & sauciat, quâ ei Religionis nomine vis affertur. Quod tacitus quidam naturæ instinctus hoc omnes doceat: DEI cultum liberi & spontanei motus esse debere. Hoc animadvertentes nonnulli ex Regum Unitorum Ordine, hanc violentæ coactionis invidiam declinare voluerunt, dum ab odiosa illa Edictorum acerbitate abstinent, & subditis religionis arbitrium ad speciem liberum relinquunt. Interim tamen, ut Unionis legibus satisfaciant, rem dissimulanter & quasi per cuniculos aggrediuntur, dum eos quos Religionis nomine oderunt, vel ab honoribus reique publicæ beneficiis excludunt, vel in jure dicundo aliisve artibus eos variè impediunt & premunt, ut tandem adversitatibus fracti seipsos eis dedere & conformare cogantur.

Artes aulicæ nostrorum temporum.

Et nostris temporibus præcipuum artificium est iis in locis, in quibus Hispanica Inquisitio per Regnorum leges Nationumque libertatem locum habere nequit, cui à nonnullis multum tribuitur: Fierique potest ut non pauci hac ratione subigantur. Si quis tamen rem penitus consideret, facilè deprehendet has subtiles artes, ut vulgò æstimantur, publico Statui plus nocere, quàm apertam Tyrannidem.

Earundem fructus.

Ipsam etenim religionem quàm hactenus ut falsam abominati sunt, nunc etiam de Tyrannicâ injusticia suspectam habere incipiunt. Deinde Magistratus authoritatem unicum illud throni fulcimentum convellunt & subvertunt, ipsamque Principis personam subditis exosam reddunt. Illarum denique injuria altius, quam vis aperta, penetrat & generosis præcipuè mentibus

tibus inextinguibilem offensæ memoriam imprimit & inurit. Et hi animorum affectus utut fortè ad tempus, ceu ignis sub cineribus, latitant, quam primum externa qualiscunque ventilatio accedit, tanto periculosius erumpunt.

Adhuc ergo primum Executionis medium ad excitandas turbas, quàm ad promovendam reformationem, multò efficacius fuit.

Secundi Medii effectus.

Nec res in reliquorum impedimentorum remotione melius successerunt. Cum enim his de instituenda reformatione decretis & statutis, non solùm diversus Religionis sensus, per Europam jam latissimè sparsus, sed etiam Nationum populorumque privilegia, leges, libertates & mores obstarent, illa citra tumultum ne moveri quidem potuerunt. Quæ omnia tamen à præfervidis ingeniis, quibus hæc provincia non citra delectum demandata erat, non solùm mota, sed acriter commota & vehementer perturbata esse constat.

Institutæ reformationis effectus in ipsis Regnis.

Hinc ergo turbæ, hinc simultates, hinc odia, hinc diffidentia cum reliquis fatalibus *Furiis*, quibus nostro tempore *Status Politicus* infestatur, ceu ex Orco proruperunt.

Id quod omnes Europæ Nationes, quas hæc pestis pervasit, sonora voce profitentur, hanc & non aliam calamitatum suarum causam omnes, qui citra morbi affectionem judicant, summo consensu allegant.

Videamus nunc ergò nùm malorum nostrorum Polonicorum eadem ratio sit, & nùm hæc etiam externa causa ad eorum inflammationem & exasperationem aliquid contulerit? Id quod multis fortè difficulter persuadebitur. Ego tamen illud constanter assero & assertionis meæ has probationes affero.

De eo primum satis constat Clerum Poloniæ & ipsum tandem vehementer urgeri cœpisse, ut ad eorundem Consiliorum communicationem semet aggregaret. Ad quod ipsum tamen præci-

præcipui istius Ordinis ab initio valde lenti fuerunt: non quod rem improbarent, sed quod executionis difficultate deterrerentur. Tandem tamen exterorum instinctus prævaluit & tergiversantes impulit. Ideoque in hunc finem non ita dudum Synodus illa Petricoviensis celebrata fuit: Cujus decreta plerisque vel eo tantùm nomine suspecta fuerunt, quod tanto studio occultata fuerunt & suppressa.

Eadem Reformatio quomodo in Polonia instituta. Synodus Petricoviensis.

Sed nec illud cuiquam dubium esse potest, ab his ipsis primo loco diligenter curatum fuisse, ut Reges Poloniæ prædictæ Unioni implicarent, eosdémque cum Domo præcipuè Austriaca quàm arctissimè conjungerent. Ex qua nimirum conjunctione maximum ad prædictæ executionis promotionem emolumentum sperabatur: Ut quæ ad subditos in utroque Regno magis perterrendos, & in Ordinem redigendos permultum factura videbatur, quantumvis consiliis illis longè aliud pallium obduceretur.

Harum verò rerum praxis post infelicem illam expeditionem in Sueciam, quasi renovata fuit, ubi nonnullorum studia valde conspicua extiterunt, Eorum videlicet, quos præter jam dictas causas Sueciæ amissæ invidia urgebat. Qui propterea omnem lapidem moverunt, ut novis Regum amicitiis accepti infortunii sensum nonnihil mitigarent.

Suecia amissa.

Veruntamen ut inter vicina Regna ferè fieri consuevit, Austriacorum studia nostratibus semper suspecta fuerunt, ideoque pro hac vice etiam ad Agentium illorum, consilia promovenda tantum non contulerunt, quantum speratum fuerat. Cum præsertim præter vulgares illas Regum Regnorumque vicinorum simultates & dissensiones alia non pauca, quotidie intra & extra Regnum, inciderent, quæ hujusmodi conjunctionem Reipublicæ nostræ minus commodam, ipsis etiam Civibus formidabilem, efficerent. Per ejus itaque attentationem nil amplius effectum fuit, quàm ut inveteratæ suspiciones periculosius recrudescerent.

Austricorum studia Polonis suspecta.

 Quod

Quod ipſum etſi iis, qui hæc agitabant, non ignotum eſſet, ſe tamen adeo non paſſi ſunt impediri, publicamque indignationem tàm ſecurè contempſerint, ut tantò potius confidentius in propoſito perrexerint, illudque tandem per fas & nefas ad exitum conati ſunt perducere.

Hic ergo molitionum jam antea ſuſpectarum tam importunus fervor eum tandem eventum ſortitus eſt, ut offenſa Nobilitate, Regnum factionibus mutuaque diffidentia impletum ſit. Et Rex ipſemet ſubditis, ſubditi verò Regi ſuſpecti eſſe cœperint. Quam conſtat proximam & compendioſiſſimam eſſe ad Reipublicæ diſmembrationem & interitum viam. Et hac ratione prius illud inſtitutæ reformationis turbatæque Europæ medium ſatis inter nos, ut opinor, efficaciter operatum eſt.

Ad alterum quod attinet, *Popularium* nempe obſtaculorum remotionem, nemo Polonus opinor negabit in hoc regno majora & robuſtiora eis objecta fuiſſe, & adhuc objici quam in nulla Europæa Natione. Conſilia enim iſta inter nos, ut quidem nunc res ſunt, ad effectum, quem ipſi cupiunt, perduci nullo modo poſſunt, niſi aut Hiſpanica Inquiſitio, aut quiddam, quod Inquiſitioni illi æquivalet, in Regnum introducatur. Per quod nempe Polonia ad Hiſpaniſmi aliquam ſimilitatem redacta, prædictæ executioni opportuna reddatur. Patria verò noſtra ea corporum animorumque libertate hactenus utitur, qualem fortiſſimæ nationes & generoſiſſimus quisque ſibi optare poterit.

Captæ reformationis executio citra libertatis Poloniæ præjudicium perfici nequit.

Qua libertatis fiducia ex ipſis etiam Catholicis Cordatiores enormes illos abuſus & vanas ſuperſtitiones, quas in Religionem ipſam ejuſdemque exercitium irrepſiſſe conſtat, magnâ multoties libertate coram ipſis etiam Prælatis repræhendunt & deteſtantur. Et quis inter nos rei iſtius poteſtatem ſibi eripi patietur, quæ tamen coram Inquiſitionis Hiſpanicæ Tribunali ignis ſupplicio adjudicaretur?

Nemo

Nemo igitur eſt, qui non videat, quàm duro colliſu hæc inter ſe committi oportuerit? Poſtquam inprimis libertas illa, quatenus animum præcipuè & conſcientias concernit, non ita dudum per *confœderationem* publicam, contra eadem tentamenta denuo & quaſi extra Ordinem confirmata eſt?

Confœderatio publica executionis iſtius obex.

Quamvis autem Hiſpanicam Inquiſitionem nemo nobis hactenus apertè & ex profeſſo conatus ſit obtrudere, quod intelligerenr, hoc citra periculum vix poſſe tentari: Via tamen ad hujusmodi aliquam imperioſam coërcitationem, variis artibus, paulatim & quaſi per Cuniculos parata eſt, ſenſimque muniri cepit: Eo nimirum adhibito artificio, quo rem citra omnem mutationis ſenſum Practicantes illi ſe conſequuturos ſperabant: Tam cautè tamen & circumſpectè incedere non potuerunt, quodque agebant tam probè nunquam potuit diſſimulari, ut rerum à Diametro pugnantium, tamque aſperarum ut levis agitatio, non ingentem flammam vel tandem eliceret. De quo ipſo, proh dolor, oculorum aſpectus hodiè teſtatur.

Hæc à me omnia veriſſimè dici omnes norunt, qui rerum noſtratium aliquam ſaltem notitiam habent, quique actiones noſtras Comitiales ab aliquot annis vel è longè ſpectarunt. Nec diffitentur hoc ii, qui in partibus adhuc inter nos eatenus hærent, ut & prædictæ reformationis negotium cupidè amplectantur, ejusque ſtudioſæ, per legitima tamen media, executioni faveant.

Adhuc ergo perſpicuum eſt, Reipublicæ noſtræ inteſtina mala, non ſolùm per easdem externas cauſas proritari & exaſperari, per quas reliqua hactenus Europa turbata fuit, ſed eundem etiam in iis operationis modum teneri.

In his igitur tollendis & amovendis opera noſtra occupari debet, ſiquidem ordine procedere, Matrique noſtræ cum aliqua ſpe ſalutis opem ferre voluerimus.

Scio

Scio tamen quid heic nonnullus dicturus sit: Me hoc disserendo Morbum ferè incurabilem ostendere, cùm harum rerum studio consiliorumque istorum exoticorum effectuosæ executioni potissima pars Regni implicata sit, ut curatio hîc etiam ipso morbo difficilior, adde & periculosior, futura videatur.

Non est de nihilo quòd dicitur, novique egomet multos prudentes viros in eo consentire; Existimo tamen, omnia opinione nostra faciliora fore, si primum inter res ipsas earundemque abusum, deinde inter personas, à quibus illæ tractantur, accuratè distinguatur.

NB. Austriacæ familiæ affinitas Polonicæ per se nec inutilis nec inhonesta.

Ad res quòd attinet, nec Austriacæ familiæ, inter Europæas haud dubiò eminentissimæ, nec quorumcunque cœterorum Regum & Principum cum nostris Regibus legitima & syncera conjunctio per se, vel NOS, vel Rempublicæ nostram in minimo lædit: sed eidem potius præsidio & ornamento futura esset, si à Practicantibus illis ad sinistras suspiciones non tàm densæ nostratibus occasiones præberentur.

NB. Eadem fere ratio est alterius Medii, ab hujus enim executione nihil turbarum esset nobis metuendum, si modò ita institueretur, ut intra legitimum docendi modum consisteret, missisque aliis parùm convenientibus practicis eventus DEO committeretur. Non igitur res istæ per se, sed earum abusus & perversus Tractationis modus Rempublicam lædunt, & has in præsentia difficultates nobis pariunt.

NB. Hæc itaque in rebus differentia si observetur, inter ipsas etiam personas manifestam nobis discriminis rationem ostendit: ut nempe non omnes eos, qui prædictis rebus manum quocunque modo admovent, pro veris calamitatis nostræ autoribus habeamus, ut curationis, de qua dicturus sum, actum ad omnes & singulos extendi oporteat; sed eos tantum qui prædicti abusus præcipuam culpam sustinent.

Si

† NB. NB.

Si quærat aliquis, quinam illi sint? Respondeo, si eorum quos in hisce rebus periculosa experientia longo tempore erudiit, consentiens testimonium admittere, Si præterea ipsam rerum evidentem inter nos experientiam in Consilium adhibere volumus, *JESUITAS ET INSTITUTUM JESUITICUM* pro iis nobis necessariò esse habendos. Hi inquam, sicut in supradictorum consiliorum executoriali praxi primas sibi ubique arrogant: ita alteram ejus & quidem odiosissimam, & nostrarum imprimis rerum respectu perniciosissimam partem, extra ordinem sibi suæque actualitati desumpserunt. In qua agitanda ita hactenus versantur, ut quod in hisce consiliis pessimum est, præcipuè arripiant, arreptum pejus efficiant, & vim ejus malitiosam per subjectum Reipublicæ corpus, quo jure, quave injuria, quasi transadigere & per partes applicare conentur. Ut sic prorsus sentiant, si Jesuitæ non essent, Nos aut turbas ejusmodi nullas habituros, aut si quæ fortè, ut ex consensu reliquarum partium Europæarum, obortæ fuissent, eas multò facilius minorique periculo consopiri posse. Hoc quidem certum est, Poloniam ab iis ultimo loco inter Europæas Nationes commotam esse.

Jesuitarum conatus & fervor omnium intra Regnum excessuum primaria causa.

Hoc verò cum illud ipsum sit, de quo inter nos quàm maximè controvertitur, judicii hujus rationes aliquanto accuratius erunt demonstrandæ. Quod ita faciam ut primùm ad oculum demonstrem *Instituti Jesuitici*, si per se consideretur, eam esse rationem, ut liberæ Reipublicæ valde inimicum & adversum, Libertati verò Polonicæ imprimis formidandum sit.

I. Consilii hujus præcipua demonstrationis capita.

II. *Deinde* vivis aliquot exemplis ostendam, quàm periculosé Secta hæc Statum Politicum hinc inde per Europam turbarit.

III. *Tertiò*, objectiones nonnullas diluam, quæ sententiæ huic à contrarium sentientibus ferè opponuntur. Quæ tria si à me

IV. demonstrata fuerint, *quartum*, quod principaliter intendo, sua sponte sequetur: Iis nempe qui Rempublicam restitutam & salvam cupiunt, præcipuam operam dandam esse, *Ut Jesuitæ*

C

tæ & Jesuitismus extra Regnum eliminentur, quò sic remotis hisce Interturbatoribus, certa aliqua & firma stabiliendæ Pacis ratio iniri queat.

Ad primum quod attinet, in eo tria considero: *Ipsam Ordinis Politiam: Finem ad quem tendit: Operationes sive Praxin, per quæ hunc finem conatur assequi.*

Politiam, si penitius introspiciemus, fatendum nobis erit, eam in hoc genere accuratè dispositam, firmissimam, & ad res magnas gerendas aptissimam esse: Ut parti cui se applicaverit vel opposuerit permultum prodesse queat. Generalis Dispositio purè Monarchica est, forma nimirum Politiæ ad movendum & agendum commodissima. Monarchicæ dispositionis nervi in hisce rebus consistunt; capite primum uno regitur, deinde hoc caput uni etiam loco, Urbi nimirum Romæ, alligatum est, ubi perpetuò residere cogitur. Quæ res Sectæ huic inter alia hoc præstat, ut uno certo & uniformi aëre perpetuò regatur & vegetetur, Romani nempe Consistorii afflatu, prout is ab iis, qui Romæ omnia possunt, afficitur. Disciplinæ denique forma Institutum hoc longè arctissima utitur, qua cives ejus ad cœcam obædientiam (sic ipsimet loqui consueverunt) astringuntur, in tantum ut Minoribus in nulla Majorum vel absurdissima imperia inquirere liceat: Nedum ut aliquis ea detrectare ausit. Disciplinæ ratio.

Hæc ergò formam illam Monarchicam constituunt, constitutam firmissimè constringunt, adeoque faciunt, ut actiones ejus efficacissimæ sint, & ceu cuneus quidam penetrent. Illa verò hanc compactionis soliditatem adjuvant, eandemque solidiorem efficiunt.

I. Basis instituti Jesuitici. Quod *Primùm* Communitatis hujus basis, per fixam illam Generalis sedem Romanæ sedi & Consistorio, ut dictum est, quasi affigitur & implantatur.

II. *Deindè* quod eandem Hispanico Imperio similiter inserunt, Dum inter septem generales, qui sibi hucusque, si rectè memini, invicem successerunt, neminem elegerunt, qui non vel natione vel ditione Hispanus esset, quæ res non caret mysterio.

III. *Tertiò* quod ex tot diversis Clericorum Ordinibus, soli ferè *Jesuitæ* ab utriusque fori ordinariâ Jurisdictione exempti sunt: ut nullum prorsus in nationibus, nisi sui Corporis superiorem agnoscant, qui plerumque Italus aut Hispanus est. Ut sic Ordo *Jesuiticus* ab omni juris Polonici coërcitione solutus, inter nos liberrimè versetur, suisque molitionibus securè incumbat.

IV. *Quartò* quòd etiam in subdelegatis Imperiis hactenus diligenter cavent, ne in Nationibus Provinciales unquam ex indigenis eligant, sed vel Hispanis vel Italis dignitates illas conferunt, aut saltem iis qui ex Anglia, Gallia &c. propter facinora aliqua profugerunt, aut propter nimium Hispaniæ studium, ex prædictis Nationibus proscripti sunt.

V. Nobilitas Polonica ad cœcam Jesuitarum obœdientiam parum idonea. Polonia Jesuitismum nutrit Hispania & Italia eodem utuntur.

Seniores verò Rectores & his similes inter nos rarissimè ex Nobilium ordine, sed ex plebe tantum adoptant. Quod cur fiat, conjectura non est difficilis: Generosa nempe Nobilitatis pectora erga patriam ita affecta nôrunt, ut suis consiliis & Practicis ea minus commoda & oportuna statuant. Interim his rebus fit, ut cùm Jesuitismi venter nostras ferè sit, quem videlicet nostris opibus explere & suffarcire cogimur: Caput tamen Hispanico & Italico cerebro repletum habeat, ad cujus nempe sensum reliquum corpus movetur.

Hæc igitur ad Monarchicum robur, iterum perquàm multùm faciunt, incursus Jesuitici impetum certissimè dirigunt, & sectæ huic ad consiliorum suorum executionem, invictum plane & penetrantem constantiam præbent.

Porrò huic ipsi Imperii Jesuitici formæ per subordinatarum dignitatum distinctos gradus variasque species egregiè contra omnes Monarchiæ incommoditates & vitia prospectum est: Ut si ex humano sensu judicetur, ei neque à Tyrannicâ oppressione, nec seditiosâ dissolutione, ullum periculum sit extimescendum: Quod ipsum etiam prædictæ sodalitati ad res gerendas miram corporis agilitatem conciliat.

Quarum rerum omnium illustre documentum nobis Historia postremi motus Galliæ præbet, ubi compertum est: in illa desperata totius Regni perturbatione, ex solo Jesuitarum ordine *Neminem*, ac ne unum quidem Jesuiticum individuum fuisse, qui Reipublicæ partes secutus esset: cum contra ex omnibus aliis Clericorum Ordinibus permulti Regias Reipublicæ partes fideliter tuerentur.

NB.

Jesuitismus Cor factionis Hispanicæ in Gallia.

Hispano autem hi ipsi Jesuitæ tàm pertinaciter adhæserunt, itaque fervidè studuerunt, ut ejus factioni pro anima aut potius pro corde fuerint: De quo vulgo dicunt, quod in corporis humani structura sit primum vivens & ultimum moriens.

Prædicta sanè factio prius opprimi non potuit, aut eradicari, quàm Jesuitæ Regno exigerentur. Quod fidele & perdurans robur instituto huic, in tàm variegata hominum colluvie, nihil aliud præstat, quàm ea quæ hactenus de Politiæ formâ diximus.

Nùm verò hæc talia sint, à quibus sibi Respublica Polona metuere debeat, iis cogitandum relinquo, qui superiori autumno artium istarum aliquem gustum perceperunt. Ego interim factionem Jesuiticam inter nos non aliter æstimo, quàm agilem quendam & acutnm gladium, cujus lamina quidem in vaginam Polonicam recondita est: Sed ita ut capulum Romana Aula & Hispania manibus teneant, & sic eum ad nutum suum vibrent, id quòd Instituti hujus proprius finis aliquantò clarius docebit.

NB.

Finis Instituti Jesuitici.

Hic autem & ipse quiddam singulare, & ab omnibus aliis Monachorum ordinibus diversum habet. Omnes enim aliorum Religiosorum Ordines in hunc finem ut plurimùm inventi & approbati sunt, & eò tendunt, ut popularis devotio per eos augeatur, Religio Romano-Catholica magis splendeat, & Ordinis Spiritualium Pomæria dilatentur &c. Jesuitæ verò etsi hisce rebus & ipsi pro virili studeant, sui tamen principalis finis longè sublimiorem scopum præfixum habent: Qui nempe est, ut

ut Romanæ Ecclesiæ sive Imperii Ecclesiastici collapsam authoritatem non solum recuperent, in quo studio reliquos Clericos Commilitones habent, sed ut subjectum præcipuè Europæ orbem ita corrigant & reforment, ut hujusmodi insultus, quos res Romana hactenus est perpessa, in longum præcaveant, sublatis & quasi obstrictis omnibus occasionibus, per quas antè hac populis ad eandem propugnandam aditus præbitus fuit.

Molitionum Jesuiticarum in hisce regionibus præcipua impedimenta.

Quas occasiones norunt non aliunde densius emersisse, quàm ex Subditorum in hisce Septentrionalibus Regnis nimiâ, ut quidem Romæ semper visa est, libertate, illisque barbaris legibus, quibus hactenus ita firmatur, ut Inquisitionis Hispanicæ intentatum jugum constanter repellat.

Horum igitur remotio & annihilatio Jesuitis, per quartum illud & sectæ huic proprium votum extra Ordinem injunctum est. In hunc finem tot extraordinariis Privilegiis Bullis & Indultis instructi & muniti sunt, ut non solùm facultate reliquo Clero universo præpolleant, sed jam ipsis Episcopis & superiorum Prælatorum Ordini graves & formidabiles esse incipiant. Nec ego dubito, quin gens *Jesuitica* aliquando Romanæ Ecclesiæ horrendi scismatis occasionem præbitura sit. Id quod sanè ipsimet inter nos jam hoc conspicuum Exordium fecerunt, quo eos, qui Romanæ Ecclesiæ instituta sequuntur, in *genuinos Catholicos & Politicos* distinguunt. Veri autem Catholici eis sunt, non qui Catholicè vivunt aut credunt, sed qui ipsorum factioni ita toti addicti sunt, ut omnes illorum molitiones probent, serioque promoveant. Pro Politicis verò, id est Pseudo Catholicis eos habent, qui etsi in Fide & vita Ecclesiæ Romanæ se per omnia conforment, Jesuitarum tamen factiosa consilia & præfervidos conatus detestantur, majoremque Patriæ & Reipublicæ quàm exoticarum factionum & practicarum respectum habent, quod ipsum, quale sit, prudentibus liquere existimo. Interea in his ipsis rebus specifica differentia consistit Jesuitismi, per quam à Clero reliquo discernitur, ejusdemque genus quasi transcendit.

Jesuitismi specificus Character.

Cum verò hoc ipsi constanter negare consueverint, vivo illud exemplo erit demonstrandum. Inter Venetos & Pontificem hoc maximè tempore controversia intercedit super quadam Ducatus Ferrariensis particula, quam Veneti, ut audio, ante annos 130. aperto bello sibi acquisiverunt. Itemque super Constitutionibus quibusdam, quarum renovandarum occasionem præbuerunt Magistratui Veneto *Jesuitarum artes testamentariæ*, Pontifex autem eas in fraudem Ecclesiæ fractas esse conqueritur, Veneti hoc nomine à Pontifice compellati, jure suo cedere nolunt, sed palàm præ se ferunt, sibi in sua ditione supremam Jurisdictionem, & sic etiam Legum ferendarum potestatem, non autem Pontifici competere &c. Quo animadverso Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat. Senatus hoc cognito Clerum suum compellat, Jus Reipublicæ eidem exponit: Pontificis Pontificiæque Excommunicationis iniquitatem demonstrat, eosdemque pro Authoritate hortatur, ut curato officio Excommunicationem pro nulla habeant &c. Quid fit? antiquus Clerus unanimi consensu Reipublicæ causam contra Pontificem probat, & de fide sua prolixè pollicetur: Recentiores verò Religiosi, quorum nempe Regulæ præsentis temporis conditioni accommodatæ sunt, Ducibus Jesuitis Reipublicæ causam damnant, stationemque suam deserunt: Quamvis Jesuitæ Magistratus edicto nominatim expulsi, & in æternum relegati perhibeantur.

Venetorum cum Pontifice Controversia.

NB.

Hoc autem Jesuitæ non aliam ob causam fecerunt, quàm quod viderent, se stante ac defensa Reipublicæ Venetæ libertate, stantibusque Legibus, nec stare, nec instituti sui finem obtinere posse. Quod ipsum sanè discrimen illud, quod inter Jesuitas & quoscunque alios Clericos constituimus, satis evidenter probat & confirmat. *Vos ergo jam Proceres*, quæso cogitate, quid de Polonia nostra futurum sit, si inter nos omnia illa removeri debeant, ut profectò illa remota cupiunt, per quæ in finis istius adeptione impediuntur? *Adhuc de fine.*

Videa-

Videamus nunc *Media* sive praxin, per quam ad scopum illum perrumpere conantur, & hæc ex iis, quæ jam dicta sunt, facilè intelliguntur. Hoc nimirum conjuncta opera fervidissimè agunt, ut primum Reges Europæos quotquot possunt uni cuidam Fœderi illigent: Cujus fœderis Principem & Directorem constituunt Hispaniarum Regem, aurei istius velleris Possessorem & custodem: ad cujus videlicet nutum reliqui se applicare cogantur, sub hac conditione, ut qui conatibus ejus quacunque ratione intercedit, aut quàm minimum adversatur, de hæresi suspectus sit, & prædicti Velleris periscelide indignus censeatur. Sed Regnorum Septentrionalium ea ferè est ratio, ut ad Legum præscriptum, non autem ad absolutum Regium arbitrium regantur. Ideoque Regiarum personarum confœderatio illis parùm prodesse poterit, nisi etiam subjecta Regibus regna in eandem unionis massam concludant. Atqui hoc opus, hic labor est: cum heîc eis infinitæ, ut jam dictum est, difficultates objiciantur, quocirca etiam opera illorum heîc præcipuè enitet, & omnium maximè conspicua est, Sic autem res suas hoc loco disponunt.

Praxis Jesuitica.

I. Primùm omnium hæc sedulò curant, ut in Aulis se insinuent. Hunc enim nidum hoc genus Accipitrum sibi ubique præstruere, inque eodem ova sua deponere solent, priusquam ad venatum evolent. Jesuita etiam ibi peregrinus & exul sibi, immò Capite diminutus videretur, ubi ab aula arceretur.

Accipiter Jesuiticus non nisi in aularum pinnis nidificat.

II. Fixo hic pede, ulterius operam dant, ut clavum Reipublicæ in suam potestatem redigant, id est, ut vel Regi Reginæve ex suo Corpore confessarium, vel saltem hæredi Regio præceptorem dent: Aut si hoc non semper procedit, illis dominentur, quorum in Reipublicæ administratione præcipuæ partes sunt & vires. Utque horum affectus, cupiditates & designationes penitissimè cognita & perspecta habeant: quâ videlicet escâ unusquisque alliciendus & captandus sit. Ad hoc autem felicius perficiendum Romana aula, quicquid autoritate, quic-

quid

quid opibus, quicquid artibus & consilio valet & potest, Genti huic liberalissimè, ut jam dictum est, indulget. Adeò ut Jesuitarum commendationes Romæ ad consequendas dignitates & præbendas plus valeant, quam potentissimorum Regum intercessiones.

Quæ unica res, si cœtera abessent, ad corrumpendas omnes, OMNES dico, Europæ aulas abundè sufficeret, sicut Eventus, proh dolor, testatur. Quamvis hoc etiam tibi advertendum est, genio Jesuitico extra hoc quandam occultam à natura vim inesse, qua ingeniis aulicis imperat & dominatur.

Ut autem de occultioribus factionis hujus artibus, quas in prædictis Politiarum officinis exercent, nil dicam: Duo sibi ibidem potissimum paciscuntur, primum, ut ipsorum mellificatio ex hac Reipublicæ arce non impediatur. Utque deinceps adversariis suis nullum eò refugium pateat, illorumque querelæ, si quas eò deferrent, vel omnino negligantur, vel quoquo modo eludantur. De his duobus quamprimum Jesuitæ cautum est, ipse deinceps sibi ad reliqua perficienda sufficit.

III. *Jesuitarum Venatus.* Constructo & firmato hoc nido, pabulatores suos quaquaversum emittunt, suamque Venationem hac ferè ratione instituunt. Primùm operam dant, ut in primariis Regni aut Provinciæ urbibus, Seminaria, Collegia, Templa quàmplurima tanquam instantis messis suæ horrea vel occupent vel extruant. Per hæc autem duo consequuntur, quæ eis ad finem suum, de quo diximus, valdè proficua existunt: Regnum primum universum his ceu unguibus apprehendunt, & ita constringunt: ut ad suum nutum illud, quoties res ita postulat, cum singulis
NB. partibus circumagere queant. Quod ut facilius consequantur, seminaria sua in prædictis urbibus ita plærunque construunt, ut suis ædificiis ipsa urbium mœnia complectantur, eademque sibi noctu diuque pervia faciant: ut in arcibus, quas Cracoviæ, Vilnæ, Calissii, Posnaniæ &c. habent, videre licet.

Nec

Polonorum in fovendis Jesuitis præcipuum peccatum. Nec ego Gentis nostræ supinam negligentiam & incuriam satis heic admirari, aut pro rei indignitate sufficienter detestari possum: Quòd ad hujusmodi periculosas & Reipublicæ præjudiciales substructiones non solùm connivemus: sed ad easdem materiam ceu propriis manibus congessimus: cum sic existimem: Si Rex aliquis tale quid machinaretur, universam Rempublicam contra eum insurrecturam: Et his exterorum Venatorum indagatoribus in nostris nemoribus tantum licet?

Deinde eadem opera juventutem nostram, spem posteritatis ad suum cerebrum, dispositis & recoctis animis regignunt, & sic inter NOS Novi, & Jesuitici mundi sementem faciunt.

Dum autem intra Regni urbes hoc ii agunt, qui ad hæc donis idoneis sunt instructi, reliqui Concionibus popularibus & audiendarum Confessionum operosissimo simul & quæstuosissimo artificio pro virili student. Quarum artium effectus duplex est. Plebem enim primariam, ut ille loquitur, hac ratione paulatim suam faciunt, factionique vires adjiciunt. Provisoribus deinceps, qui Cameræ sive Ærario præsunt, viam ubique muniunt, ut in omnia publica & privata bona aditus eis pateat. IV.

Jesuitæ sagaces aucupes. Et hic mihi latissima sermonis valva se aperiret, si aucupia illorum, quibus illi homines, mulierculas præsertim, circumveniunt, explicare vellem.

Cum verò instituti & occupationum mearum ratio mihi habenda sit, illud saltem præterire nolo, in quo etiam Sectæ hujus à reliquis Religiosorum Ordinibus differentia aliqua perspiciatur: Quod nempe Jesuitæ vulgaria ista munuscula, quæ vulgò in Religiosos erogari consueverunt, non curant, nec ea capiunt: Quod hoc eis sordidum, & reliquo Ordinis splendori minus conveniens videatur. Aquila enim currucam non captat. Et ipsi aliàs ut exercitati Practici benè nôrunt, *Pecuniam*

Propter passerem rete non attrahunt.

cuniam in loco negligere maximum interdum lucrum esse. Novique egomet simulationem hanc aliquando eò usque processisse, ut oblatum 50. aureorum Ungaricorum precium repudiârint.

Hominum vero opulentorum testamentaria legata, & cum his integra prædia adeo non fastidiunt, ut potius exquisitissimo artificio illa aucupentur, ut Polonia, in hac etiam publica morum corruptione vix quicquam simile experta sit. Hinc ergò istis pecuniæ neglectoribus, qui suam gratuitam operam nobis tàm officiosè deferunt, illi regales inter nos Proventus, quorum præsidio se jam non solùm animosé, sed etiam factiones inter nos alere incipiunt. Hoc etiam cum reliquis suis arcanis in Majore Polonia, Calisii: in Minore Cracoviæ: in Russia, Lublini: Vilnæ in Lithuania: Postovii in Masovia; & Brunsbergæ in Borussia: deponere & custodire dicuntur. Hæc inquam Imperii Jesuitici inter nos æraria publica sunt, & Chartophylacia, quæ si hoc tempore excuti deberent, Poloniam haud dubiè de status sui qualitate rectius instructura essent, quàm tot hactenus tumultuosa scrutinia præstare potuerunt.

Et hæc de praxi Jesuitica.

Hæc itaque de primo designationis meæ Capite, de Politia nimirum instituti Jesuitici, pro lectoris instructione sufficiant. Ejus nunc erit cogitare, num fallatur qui Jesuitas Polonis Reique eorum publicæ vehementer formidandos & sedulò cavendos censet. De narrationis autem meæ veritate, novi plærisque melius quàm mihi ipsi constare.

Praxis Jesuitica ordini præcipuè Politico fatalis,

Superest nunc, ut quæ in genere de Sectæ Jesuiticæ natura & moribus proposita sunt, per particularia Exempla comprobentur, adeò que demonstretur, quàm periculosa harum rerum praxis ordini Politico fuerit, quod secundum erat propositionis meæ caput; Hoc ipsum verò domestica & nostræ experientiæ documenta satis explicare possent & demonstrare. Spero tamen

men in exterorum Historia rem magis conspicuam fore, quod illorum casus extra factionum effectus positi, & sic ad instruendum aptiores sint: Ideoque illorum exemplis immorabor, ita tamen ut nostratium non prorsus obliviscar.

Inter plurima verò documenta vix quicquam illustrius est eo, Quod Historia ultimi tumultus Galliæ suppeditat: ex quò nempe perspicitur, quantum Jesuitismi Genius contra statum Regium ad ejusque eversionem possit. *Res sic habet*, Regni Galliæ ea est conditio, ut à Prudentiæ Politicæ studiosis ferè pro optima Politiæ formâ allegetur. Et quamvis in eo nobis cum ipsis non per omnia conveniat, certum tamen est, eam firmissimam esse: siquidem ad absolutæ Monarchiæ formam quàm proximè accedit, contra Tyrannidem tamen & seditionem iis legibus, eâ Parlamentorem authoritate, illa denique sanguinis Regii reverentia corroboratum & firmatum est, ut his solis rebus hactenus invictum perstiterit.

Et quantum ad sanguinis Regii observantiam attinet, Galli vulgò aliquid præ reliquis Nationibus in hoc affectu putantur habere. Illorum sanè regia familia vetustior est, quàm ulla Europæa. Contra hanc tamen firmissimam, ut Henrico III. haud dubiè videbatur, arcem, Jesuiticæ impressionis cuneus tantùm valuit, ut quod in Galliis hactenus inauditum erat, Rege in Ordinem redacto, Familiæ Regiæ autoritatem ita penitus NB. prostraverint, ut & personam Regiam neci dediderint, & infensissimæ Gallis nationi, ad invadendum Regnum viam longè latèque complanaverint. Et nisi peculiaris & penè miraculosa DEI providentia conatibus eorum tàm evidenter obstitisset, rem eò deducturi videbantur, ut Galli proditâ Regiâ familiâ, quæ inter eos annos plus quàm 600. tàm altas radices egit, ut omnes ferè principales familias complexa sit, Gallici nominis perpetuum hostem & æmulum sibi Regem asciviſſent. Ideoque sanè multò majori miraculo, quàm si nobis ante hac *Demetrium* suum *Muscoviticum* obtrusissent.

 Heîc

Heîc autem ut magis perſpicuum fiat, quomodo Inſtituti iſtius Genius erga ſtatum Politicum ſit affectus, ex tot illorum molitionibus, quibus Henricum illum ſubverterunt, unum ſaltem ſed valde inſigne illorum ſtratagema heîc producam, cujus hæc eſt ratio.

Quæſtiones à Jeſuitu in Gallia motæ & deciſæ.

Sub initium prædicti tumultus, quæſtio illa in Galliis agitari cæpit: *Num Pontifex R. Galliæ populum à fidelitatis juramento, quo Regi ſuo obligatur, in caſu hæreſeos abſolvere poſſit?* Ex hoc oriebatur altera huic admodum affinis: *Num cuilibet privato liceat Tyrannum propria authoritate occidere?*

Intelligis, opinor, cordate lector, quantum Regis, ſtatusque Regii in horum Problematum deciſione interſit. Et quid putas Apoſtolos dicturos fuiſſe, quando Hieroſolymis primum Concilium ſub præſidio Spiritus ſancti celebrabant, ſi religioſus aliquis cum ejusmodi quæſtione coram eis appariuſſet? Neque tamen in Galliis controverſiæ iſtæ novæ erant. Ad priorem enim ventilandam Pontificum olim cum Galliæ Regibus perpetua litigia perennem materiam ſuppeditarant.

Johannes Pratus.

Poſterior verò ante annos plus minus 200. poſt cædem nempe Ludovici Aureliani, in Sorboniſtarum Collegio publicè agitata & ſolenniter deciſa erat. Utraque ſemper conſtantisſimè fuit negata, adeo, ut poſterioris aſſertio & aſſertor Johannes Pratus, nî fallor, in Concilio etiam Conſtantienſi ex æquo damnati fuerint.

Pro hac autem vice eædem quæſtiones Galliam ad eum modum immutatam invenerunt, ut bona pars Cleri, & cum his totus *Jeſuitarum Ordo* utriusque aſſertionem probaverint, revocatâ & annihilatâ Majorum ſuorum perpetua ſententiâ: non aliter quàm ſi novus interea Mundus ſuccesſiſſet.

Hujus

Hujus verò immutationis Jeſuitas præcipuos autores extitiſſe, ipſa Sorbona poſt res ſedatas publicè profeſſa eſt: Et Jeſuitæ idem non obſcurè agnoſcunt, dum inter eas cauſas propter quas olim Pontificia Excommunicatio contra Galliæ Reges minus efficax fuerit, hanc nominatim exprimunt, *Quod Gallorum animi tùm non ſufficienter diſpoſiti fuerint.* Hoc eſt, quod tàm acres ſeditionum concitatores non habebant, quales hodie Jeſuitici Concionatores ſunt & Confeſſarii.

Jeſuitarum in diſponendis animis peculiare artificium.

Hæc igitur Jeſuitarum deciſio (non tamen absque DEO) Henrico necem attulit, & contra Parricidam abſolvit, eumque Ehudo iſti Iſraëlitarum liberatori æquiparavit. Quale nihil in ulla Chriſtiani Orbis parte, inde à Religionis incunabulis auditum ſcriptumve eſt, aut lectum.

Tyrannus quis? ſecundum Jeſuitas.

Ubi tamen, ut rei indignitas melius perſpiciatur, diligenter notandum, Sectam hanc, Tyranni, ejus nempe quem ab unoquoque privato impunè occidi poſſe contendunt, definitionem ſibi ſuæque diſcretioni reſervaſſe: ſecundum quam is nobis pro hujusmodi mactationis pecude habendus eſt, qui quacunque ratione in Romani Pontificis indignationem incidit, & ex Jeſuitarum ſenſu excommunicatur. Id quod ideò hîc addendum fuit, quod in alterius quæſtionis formatione, ab ipſis inſidioſe additur: *In cauſa Hæreſeos*, ut hoc nempe fuco, perfidiam ſuam in Magiſtratum ſupremum incruſtent. Cùm ex præcedentibus conſtat hæreticos illos eſſe, non qui pravas in Religione opiniones ſectantur: ſed qui Jeſuitarum artes quocunque modo impediunt, aut ipſis non per omnia obſequuntur.

Jeſuiticæ definitionis Hæreticus.

Sicut vel ex Venetorum exemplo intelligere poſſumus, quos hæc Secta per univerſam Italiam pro peſtilentisſimis hæreticis proclamare dicitur, ideò ſaltem, quòd latis ſeu potius renovatis Legibus, Jeſuitarum cupiditati frenum injicerunt.

 Et

Et quòd fortè etiam (de quo mihi constat) Inquisitoriæ potestatis libidinem intra nimis arctos carceres concluserunt.

De Henrico verò certum est, Eum dum vixit nullius uspiam erroris ab ullo Catholicorum insimulatum esse. Constat etiam Eum in Catholico-Romana communione usque ad extremum perstitisse. Furoris autem, quo eum persecuti sunt, hæc vera causa fuit: *Quod sceptrum regium non ei tradere volebat, quem sibi hi socii tanquam idoneum molitionum suarum administrum Galliæ Regem destinaverant.*

Henrici III. hæresis.

Nunc ergò Proceres iterum attendite, An non per hoc Jesuitarum decretum, omnium Europæorum Regum & quorumcunque Magistratuum Politicorum mors & vita ab arbitrii Jesuitici horoscopo suspendantur? ut si his illis dextrè ascendat, illi vivant & valeant, sin minus pereant? Qua de re prædicta Venetorum calamitas, Regis Britanniæ perpetua pericula, & illorum omnium metus, qui hunc ordinem sibi infestum sentiunt, abundè testantur.

Magistratuum pericula.

Venetorum tamen exemplum præcipuè conspicuum est, quod Respublica illa, ut dixi, Romano Catholicam Religionem hactenus, tanquam Imperii sui Palladium accuratè observet, & acerrimè tueatur.

Quæ exempla quoties expendo, toties exhorresco, cùm videam, quàm facilè sub præsenti rerum statu inter nos simile quiddam in alterutram partem accidere posit, postquam imprimis sectæ Jesuiticæ, ad hujusmodi aliquem effectum, tàm pertinaces & fervidi conatus ab aliquot jam annis inter nos deprehenduntur. Eos sanè ad tale aliquid etiam inter nos audendum satis animatos esse, proximorum aliquot mensium experientia demonstravit:

Sed heic fortasse aliquis dicere volet: Inter nos nihil ab hac

hac parte esse periculi, quod Jesuitis cum Rege nostro probè conveniat &c. Mallem hos dicere posse Regi nostro cum Regni ordinibus, & his cum Regia Majestate probè convenire. Hoc enim ad Reipublicæ salutem aliquantò utilius, & ad securitatem nostram firmius & efficacius esset. Nunc autem hoc verè dici agnosco, neque tamen hoc ipsum sollicitudinis meæ causam tollit, sed eandem potius auget. Ecquis enim certò dicere poterit, quod hoc Regi nostro perpetuum futurum sit, ut Jesuitis tàm propitiis utatur? Quid si is aliquando deprehensis illorum artibus, à quibus eum hactenus plerique circumventum existimant, animum mutet, & potiorem Reipublicæ respectum habere incipiat. Ecquid tùm eum sperare jubebimus? An non tempus fuit in Galliis, quo Henricum III. ex Polonia redeuntem, Jesuitæ eo applausu excipiebant, ut laudum ejus præconio exsatiari nequirent dictitantes; *Huic uni individuo omnes Constantinos & Carolos magnos, omnes Ludovicos &c. inclusos esse, Hunc fortissimum, felicissimum Christianissimum & invictissimum Christi athletam, Ecclesiæ Catholicæ Protectorem, Hæreticorum malleum & pavorem à DEO Galliis provisum?*

Regit vita & quæ ab hoc pendet regni fortuna Jesuitarum affictui obnoxia.

Henricus III. in Galliis priusquam displicere cepit, à Catholicis saltem non per altero Messia habitus.

Quid verò hæc omnia eum tandem juverunt? Cum hic projectæ assentationis affectus, paulò post ita in contrarium mutatus sit, ut eum non solùm occidi curaverint, sed occisi cadaver, quantum in ipsis fuit, sepultura prohibuerint: ipsumque parricidam in Divorum Catalogum retulerint.

Sed esto, inter nos tale nihil metuendum sit in præsentia, quis verò noverit, qualis in posterum Regum rerumque nostratium status futurus sit? Nostræne itaque matri ita consulemus, ut tàm ambiguæ fructificationis semen scientes intra Reipublicæ viscera retineamus, tantâ curâ foveamus, & ad posteros propagemus? Quis inquam sanus nobis suadebit, ut fortunas nostras tàm ambigui eventus aleæ committamus? ut nempe Respubli-

Respublica non diutius salva sit, quàm quousque Regi Reive publicæ cum Jesuitis probè convenit? ut tum demum nobis securos esse liceat, quando nihil inter nos est, quòd Sectæ huic offensionis causam præbere possit.

Jesuitismi genius ipsis Legibus infestus.

Dixi, quanta sit vis aculei Jesuitici contra Reges Statumque regium, quoties hunc molitionibus suis obstare intelligunt. Hic autem Lectorem notare velim, ejusdem pestis non minorem efficaciam esse, in oppugnanda & expugnanda Republica atterendisque legibus, quoties nempe sentiunt, se ab his in instituta sua venatione impediri.

Et quod ad leges attinet, hæ Politicæ tineæ illas præcipuè arrodere consueverunt & exedere, quibus jus successionis in Regno continetur, Libertasque & pax publica firmatur.

Lex Salica in Galliis.

Qualem in Galliis præcipuè invenerunt illam Legem Salicam, Matriculam & fundamentum illius Regni, per quam stirpis regiæ mascula proles, exclusis fœmellis, ad regnum sola admittitur. Cujus legis vigore successio Regni post interfectum Henricum III. ad Henricum IV. Regem tùm Navarræ devolvebatur.

Quod ipsum, cùm Sectæ Jesuiticæ suum interitum interpretaretur, tantum efficere potuit, ut Galli hoc Reipublicæ suæ fundamentum ipsimet subruere conarentur, ascitâ contra hanc Legem Philippi II. Hispaniarum Regis filia, quam ex Henrico II. Galliarum regis filia susceperat, in regni sui hæredem, operis totius promotoribus & internunciis Jesuitis. Quod autem Gallis Lex Salica præstat, hoc Poloniæ adhuc Regum juramenta conferunt, per quæ hactenus Reipublicæ liberæ electionis jus conservatur.

Quàm periculose verò hoc etiam libertatis nostræ fulcimentum

mentum ab his tineis arrosum sit, egomet dicere nolo, nec publicè ipsemet divulgabo.

Ejusdem virtutis illustre specimen coram oculis nostris in vicina Hungaria, Austria, Styria, Carinthia &c. ediderunt. Eo nimirum successu ut obtritis legibus, quibus prædictarum Nationum & Provinciarum Libertas nitebatur, partem earum penitus oppresserint, partem ad extremam desperationem adegerint.

Homines nobiles sedibus pelluntur, quod Jesuitis geniculari nolunt.

Hoc quidem rumor publicus hactenus constanter affirmat, in prædictis Provinciis alicubi illustribus, & antiquissimæ nobilitatis familiis publicè diem dictum esse, intra quem se aut coram Jesuitarum Tribunali sistant, aut relictis patriis sedibus aliò migrent; quæ res fœderi isti malè vertat.

Hic ergo jam quæro Proceres, si res fortè in eum casum deveniat, ut Regiam Majestatem Jesuitæ inter nos, vel nunc vel posteris temporibus, ut eandem contra Rempublicam contra Leges & libertates nostras incitent; Ut quando hactenus coram moderna Regia, pacem religionis unicum illud furoris Jesuitici repagulum, ita traducunt, ut eam Tartaricam & Mahometicam perfidiam nuncupent, quam Regia Majestas citra æternæ salutis suæ jacturam nec approbare possit, nedum ut eandem tueri debeat &c. quam inquam Vos mihi spem dabitis?

Pacem religionis Jesuitæ ut Canes lapidem projectum admordent.

Novi tamen, quid etiam hîc nonnulli excipiant, non esse videlicet tantopere admirandum, si confœderatio illa fortassis non omnibus probetur, sub qua nimirum tot abominandæ sectæ quotannis inter nos suppullulent &c.

Age itaque cedamus eis ad tempus (quod tamen citra Reipublicæ præjudicium fiat) hoc jure: quid verò ad illud mihi respondebunt, quod in proximis Comitiis Warsaviæ Dominica

Misericordias Domini Anno 1606. ex Petri Skargæ ore audivimus, quando is converso sermone ad Regem sic alloquebatur: *Eheu Rex, quorsum jam nobis res tua intempestiva conniventia reciderunt? Reges olim Poloniæ de rebus ad Rempublicam spectantibus cum solis Senatoribus deliberabant, Nunciorum istorum terrestrium, quos vocant, nullæ in hisce rebus partes erant, ut qui non ita dudum introducti sunt. Nunc verò tuâ & quorundam Majorum tuorum socordiâ res eò, proh dolor, deducta est, ut quàm primum feroculus aliquis Domicellus, qui se pro Nuncio forte terrestri gerit, votum suum proponit, omnes ei protinus assurgere conantur. &c. Tuum tuum erat ô Rex, ejusmodi perversas, quæ contra antiquos mores inoleverunt, consuetudines cohibere. &c.* Ubi etiam manibus ceu nutu indicavit, quid fieri velit: *Summa nimirum papavera demetienda esse.*

Hinc igitur Tubicinis istius Aulici tenorem, si reliqui tribules ita persequerentur, ut profectò eum strenuè persequuntur, ut ad consiliorum istorum executionem operam vel vires Regi aliquando in auxilium offerant, Ecquid de nobis, deque nostra hactenus illibata libertate futurum censetur? Disputatur hactenus inter nos ab annis 50. & circiter, de legum Polonicarum authoritate contra Pontificum Decretales, quæ civis Poloni caput & fortunas, in casu Hæreseos, ut loquuntur, absoluto Episcoporum arbitrio, contra expressas libertates nostras subjiciunt, Regique nullas alias in judicio quam Ministeriales executiones partes relinquunt.

Disceptatur etiam hodie inter nos de modo potestatis Regiæ, itemque de Reipublicæ in Rebus ad salutem Regni spectantibus autoritate. De his autem Controversiis, quod Jesuitæ sentiant, non est obscurum: Regi enim Regiæque Majestati, quamdiu in conatibus ipsorum promovendis constanter perget, tantum adjectum cupient, quantum Henrico III. olim, & ejusdem

dem successori Henrico IV. propter oppositam rationem detraxerunt. Quomodo verò vice versa in Rempublicam animati sint, Petrus Skarga jam nos docuit. Et vos adhuc dormire vultis?

Ex his ergò omnibus perspicitur, Jesuitas illos esse qui diffidentiam inter Regni hujus subditos & supremum Magistratum serunt, fovent, augent, exasperant, dum Regiam Majestatem Nobilitati, Nobilitatem Regi suspectam efficiunt, & sic Principem eò deducunt, ut omisso fidelium subditorum respectu, extera amicitiæ præsidia circumspiciat. Idem verò illorum studium est circa statuum illorum dissidium, quod hactenus ceu in cineribus sopitum jacuit, quod tamen illi subinde fodicant, dum Prælatorum animos sollicitando, hos spe, illos metu incitare non desinunt. Illas autem populares factiones, quibus Ordo equestris periculosissimè hoc tempore distrahitur, eccui alii, quàm Jesuitis acceptas feremus? qui primum universum hunc Ordinem generaliter in Hæreticos, quibus nullum in Regno nisi precarium jus concedunt, In Politicos, quos his aliquanto peiores statuunt, & syncerè Catholicos sibique fideles tripartito discerpunt. Et inter hos ipsos deinceps privatas simultates & dissidia serunt & alunt. Ex quo inter infinita mala etiam illud consequitur, ut Princeps, ne quidem si velit, præcipuum aliquem Nobilitatis respectum habere queat, ut in cujus dissolutis scopis parùm autoritatis & præsidii sibi repositum nôrit.

Hæc igitur etsi palàm inter nos practicentur, ita ut animi affectus citra ruborem ipsimet in publicum prodant, sunt tamen qui Jesuitarum inter nos patrocinium suscipiant, & omnia sedulò conquirunt, quibus hæc sub aliqua probabilitatis specie, vel prorsus negari vel saltem palliari & excusari quomodo posse confidunt. *Jesuitarum nequitia ubique applausores invenit.*

His igitur deinceps nonnulla respondenda sunt, nam hoc terti-

tertium nobis designationis nostræ caput constitutum fuisse memini. Qui itaque Jesuitas omnium fervidissimè propugnant, primo loco Catholicam religionem allegare consueverunt, à cujus interitu sibi metuunt, si in Jesuitas gravius aliquid deberet statui. Estque hic defensionis Jesuiticæ longè splendidissimus & maximè plausibilis prætextus, ad quem congeruntur Ordinis istius res gestæ. Barbarorum nempe infidelium sub utroque Mundi axe, sicut & hæreticorum in hisce partibus plurimorum felicissima conversio. Quibus ante hac inter nos adjecti sunt, divini & miraculosi illi sectæ istius successus in Moscovia & augusta spes, quam ex illo tractu, & nobis & Romanæ Ecclesiæ ostentant &c.

Ipsi etiam Jesuitæ, ut hic foro utantur, videri volunt, eos qui illorum ejectionem & ex Aula remotionem suadent, id malitiosè agere, ut abactis Canibus ab ovili, oves Luporum sævitiæ prostituant.

Religionis Romano-Catholicæ conservatio & propagatio.

Adhæc igitur quid dicimus? Hæc nempe primo hîc admirari cogor, quibus rationibus sibi persuaderi patiantur Catholicam Religionem citra Jesuitarum operam in Polonia consistere non posse, ii qui credunt Romano Catholicam Religionem, qualis illa nunc est, paulò minus quàm Mille quingentos annos per Orbem durasse, antequam Ignatius Lojola in terris natus est, ita videlicet, ut in nostra quoque Polonia tot centenos annos egregiè floruerit? Deinde dico Christum & Apostolos ab initio non solùm religionis propagationi, sed etiam æternæ ejus conservationi, per sufficientia media abundè prospexisse: Ut Ecclesiæ quam diu in veritatis tramite simpliciter incedit, nullis novis & extraordinariis mediis opus sit.

Qui putant Religionem citra Jesuitarum operam consistere non posse, ordinarium Clerum pudendæ ignaviæ arguunt.

Hi autem non Jesuitas, quos quidem ego sciam, sed Episcopos, Præsbyteros, Doctores, Pastores, Diaconos &c. ordinarunt. Istorum verò officiorum cùm non solùm nomina sed etiam personæ inter nos supersint, quibus illorum cura demandata est, quis dubitet, quin hi, dummodò officium faciant, religionem sint rectè curaturi, ut maximè Jesuitæ in Polonia nulli sint:

Quod si autem Jesuitæ canum illâ valde ambiguâ appellatione delectantur, ut sibi solis eam vendicent, viderique velint, citra ipsorum vigilem curam Dominicum ovile omni præsidio destitui, indicari mihi velim, quid de reliquo Ordinario Clero sentiant? Nùm eos fortè pro vulpibus haberi velint.

Jesuitæ religionis prætextu pro illice utuntur.

Tertio ulterius sic dico Religionis curam & propagationem Jesuiticæ designationis minimam partem esse, quam nimirum ipsi amplius non curant, quàm quatenus prætextus illius eis ad principaliorem Instituti sui finem, de quo dictum est, viam munit. Id quod vel hinc apparet, quod inter eos partes docendi in Ecclesia inferioribus ferè committuntur, ut primicerii istius Ordinis, & qui ingenio præstant, illis quas diximus, sublimioribus artibus in Aulis liberius vacare queant.

Quartò experientia testatur, quod etiam virorum doctissimorum, quos vel Jesuitæ ipsi pro Catholicis coguntur agnoscere, calculo confirmatur, Jesuitas Religioni Romano Catholicæ intra Europam magis obstitisse, quàm ut eandem promoverint. De quo aliquot inter nos præstantissimorum Virorum, ex ipso etiam Ecclesiastico Ordine, quærimonias me non semel audire memini.

Hoc ipsum verò cùm multis prorsus incredibile videatur, his illud rationibus ulterius declaro: Primum omnes in universum Catholicos in eo mecum consentire opinor, quod ibi demum Romano Catholica Religio crescat & floreat, ubi Concilii Tridentini Canones & Decreta acceptantur, & juxta eosdem creditur & vivitur. Ibi nempe institutæ reformationis negocium, de quo supra dictum est, plenè succedit, in quo nempe Ecclesiæ Catholicæ salus hodie reponitur. Sed experientia

entia perſpicuè teſtatur, Concilii iſtius executioni vix quicquam hactenus fortius obſtitiſſe, ejusdemque Decreta nationibus ſuſpecta & exoſa reddidiſſe, quàm Jeſuitarum practicas & ſeditioſum fervorem, quibus modeſtisſimum quemque inter ipſos etiam Catholicos offenderunt, & omnia turbarunt.

Calamitatis in Anglia Catholicorum immediati autores Jeſuitæ.

Deinde negari non poteſt ſolius Jeſuiticæ bilis præfervido æſtui imputandum eſſe, quod Romano Catholica Religio hodiè in amplisſimo Britanniæ Majoris Regno tanto ſtudio premitur & opprimitur, & nunc etiam poſt exactos Jeſuitas Catholici Sacerdotum ſecularium uſu penitus priventur, & ſic Regis clementisſimi beneficio gaudere nequeant. Eandem calamitatem iidem Catholici non ante annos adeò multos, in Scotia Jeſuitarum culpa perpesſi ſunt. Cum enim illorum nonnulli in Regno Scotiæ conjurationis cujusdam, quæ contra Regem ibidem à Paulo Crichtonio Jeſuita in Hiſpania inſtituta erat, tabulas hinc inde inter Romanæ Confesſionis homines clanculum circumferrent, quibus illi ſubſcribere debebant: Re proditâ, ex primaria Scotiæ Nobilitate complures, qui hactenus ceu columnæ religionis Romano Catholicæ in prædicto regno fuerant, extremum vitæ fortunarumque omnium diſcrimen adierunt. Sed & reliqui Catholici omnes, cum ipſa Religione, cui Rex antehac non admodum adverſari videbatur, in juſtisſimum Regis odium incurrerunt: Ea ratione ut in hunc uſque diem miſeri illi facinoris Jeſuitici pœnas luere cogantur.

Et quid aliud Hungaros & Transſylvanos non ita dudum ad eum modum exacerbavit, ut unà cum Jeſuitis, omnes Catholicos Sacerdotes, quos nanciſci potuerunt, malè tractatos, ex finibus ſuis expulerint, quàm importunus ille Jeſuitarum fervor? Dum hi ſupremi Magiſtratus authoritate & favore freti, reliquias libertatis prædictarum provinciarum tanto impetu invadunt, ut incolæ, qui hactenus omnia pertulerant, has ultimas Jeſuitarum injurias perferre nequiverint, & extrema potius

potius remedia arripuerint. Ad quod eos haud dubiè vicinarum provinciarum perſpecta calamitas animabat. Quin etiam de Polonia dubium nullum eſt, quin & inter nos aliquando rebus turbatis Catholicæ Religioni magnum aliquod infortunium ſint conflaturi: Siquidem diutius inter nos converſari debeant. Cujus rei hæc abundantisſima cauſa jam nunc præſtò eſt, quod hic livor illâ, quæ nobis tantopere commendatur, docendi facultate non contentus machinationibus ſuis publicam Magiſtratus autoritatem prætendit. Quæ res ut fortè plebeculam territat, ita cordatiores quoque vehementer offendit, ſtudia eorum ſuſpecta facit, & quod iniquisſimum eſt, Magiſtratum ſicut & ipſum Clerum publico odio exponit, ejusdemque authoritatem ſubditis contemptibilem reddit. Hæc igitur Catholicæ Religionis damna ſi cum profectibus comparentur, quos Jeſuitæ intra Europam in ejusdem propagatione fecerunt, tantum fortasſis vix ſuperfuturum eſt, ut gloriabundæ illorum jactantiæ reſpondeat.

Veruntamen ut hujus etiam infortunii culpam eis condonemus, ſi doctrinam Jeſuiticam per ſe & extra hos exceſſus æſtimemus, in eadem nihil, quod tanto præconio dignum ſit, deprehendetur. Religio enim vel voce, vel honeſta vitæ converſatione, vel ſcriptis propagatur & defenditur.

Jeſuitæ quales Concionatores.

In concionibus ut plurimum Jeſuitæ ſubtiles, diſerti, & in concitandis affectibus acres, vehementes & impetuoſi eſſe conſueverunt: ut imbecilles & incautos animos movere & percellere posſint. Haſce autem qualescunque dotes, quæ in ſyncera Pietatis ſchola non perinde æſtimandæ ſunt, corrumpit & cordatioribus ſuſpectas facit primum Elocutionis ſive actionis (hanc quidam hypocriſin vocari dicunt) geſticulatoria levitas, nimiumque facundi ſermonis ſtudium: Et, qui ſub hoc prælucet, ardentisſimæ ambitionis affectus. Quorum utrumque neſcio quid fucatum & non Apoſtolicum ſapit.

Deinde

Deinde deformat eos ista inexhausta calumniandi & conviciandi libido, qua plerumque in adversarios debacchantur. Idque tantùm ut plebis animos incendant atque exasperent: Cum interim adversarios, quos lucrari debebant, indurent. Me quidem hæc ita offendunt, ut vilissimi pagi Parochum interdum concionantem audire malim, quàm, qui in universa Polonia inveniri queat, disertissimum Jesuitam.

Disciplina Confessionaria.

Ad confessionarium artificium quod attinet, non inficias eo, hoc venationis Jesuiticæ præcipuum instrumentum & perquàm commodum rete esse. Neque tamen hoc ipsum tàm cautè hactenus disponere potuerunt, ut illa omnium arcanorum perscrutatio, peccatorumque interdum non pudicum examen, cum satisfactionis illâ insidiosâ multoties etiam avarâ impositione non plurimos offenderit, & à Catholicâ communione ita repulerit, ut ab eadem propter ipsos præcipuè Jesuitas penitus abhorreant. Sentit hoc jam in vicina nobis Moravia Præsul Olmucensis, sub cujus nomine Jesuitæ libellum quendam ibidem typis excusum ediderant, in quo pro Confitentium instructione Cathalogus peccatorum cum discretione venalium & mortalium recensetur, secundum distincta vitæ communis officia: Quando ejus libelli abominandâ spurcitie (ab amicis propterea admonitus) post aliquantò diligentius perpensâ, pudore victus eundem, ut Christianæ confessionis minimè ferendum, omnique luce indignum opprobrium, precio plusquam decuplo passim redimere & penitus supprimere conatus.

Quantum ad vitæ conversationem, eam quidem hactenus ita instituerunt, ut nimis conspicua illa vitiorum ulcera, quibus Clerus antehac turpiter deformatus, Laicisque exosus redditus fuit, studiosè vitarint. Neque tamen in hoc etiam proposito tàm constantes aut circumspecti fuerunt, ut non in opposito arboris scientiæ boni & mali fructus se in iisdem proderent. Dum enim ab una parte miraculosam quandam vitæ continentiam, Angelicam castitatem, Religiosæque pietatis devotum studium ostentant: ab altera partæ profundæ avaritiæ tam dira lues, & circumveniendarum Nobilium familiarum, Viduarumque & Orphanorum decipiendorum tàm callidum artificium deprehenditur, ut hoc ipsum prudentioribus, in hominibus tàm religiosis summæ admirationi fuerit. Ut interim superiorum Jesuitarum artium intactum Chorum heîc relinquam, de quibus tàm multa jam dicta fuerunt.

Scriptio Jesuitica.

Restat scriptio Jesuitica, in qua ferè summus Instituti hujus excellentiæ gradus constituitur, nec id prorsus vanum censeri debet. Negari enim non potest, dictionis Jesuiticæ characterem per se tersum & argutum, Orationem autem, si artificium spectes, floridam & nervosam esse. Quæ scriptionis virtutes ad illectandam & capiendam Juventutem non exiguam vim habent, quæ etiam Jesuitas, harum præcipuè rerum admiratione, suscipere & sectari solet. Qui verò serio pietatis studio afficiuntur, hæc tanto minus curant, quantò in hisce rebus nimia Jesuitarum affectatio evidentior est: non aliter quàm si omnibus veteribus & recentioribus Sophistis, aut ipsis etiam triobolaribus rabulis palmam vellent præripere. Veritatis autem sermo simplex est & esse debet: Imprimis autem Christianæ religionis tractatio hujusmodi fucatæ & coloratæ orationis lenocinia aversatur & rejicit, tanquàm corruptarum & prurientium aurium non satis castum delinimentum.

Prudentissimi denique, quique incorruptissimè judicant, sic sentiunt: Jesuitas suis hactenus argutis & concitatis scriptis eatenus saltem profecisse, ut Catholicos suos inflammatos concitaverint, Partem verò Adversariam acuerint & obfirmaverint. Ut sic bellum illud religiosum, quo ceu Causone quodam Europa adhuc amburitur, tantò periculosius exarserit, quemadmodum nostris ipsimet oculis cernimus.

Quod autem de Barbarorum in utraque India converſione pro Jeſuitis adducitur, illud ex iis locis petitum eſt, ex quibus aliquis non ſolùm verum dicere, ſed etiam ſecurè mentiri poſsit: In Polonia præſertim & in illa explorationis difficultate, poſtquam Caſtilienſes & Luſitani nullum extraneum in illas regiones admittunt: Ideoque his nihil aliud quàm vulgatum illud reſpondeo: *En Rhodus. En ſaltus.*

Jeſuitarum aurea & argentea argumenta.

De hæreticorum in his terris converſione rem non prorſus nego, ut de qua oculorum aſpectus teſtetur. Opus tamen ipſum non tàm doctrinæ Jeſuiticæ extraordinariæ virtuti, quam argumentorum aureorum & argenteorum ponderi aſcribendum cenſeo, quibus ferè utuntur, quorumque perennem copiam eis Eccleſiæ Romanæ favor, Aulæque Polonicæ jucundus calor ſufficit: Inter quæ tamen heîc inter nos quandoque vitrea concurrunt, pro quibus alibi in vicinia ferrea ſubſtituunt. Quod genus Converſionis Paulus Apoſtolus haud dubiè Everſionem ſeu potius Corruptionem dixiſſet.

Ad rerum Muſcoviticarum ſucceſſus quod attinet, illi revera nobis hactenus non citra faſtum oſtentati ſunt: quorum etiam præcox ſpes gentem Jeſuiticam ad eum modum inflavit, ut omnia ſibi deinceps contra Clerum, Nobilitatem & quoscunque alios licere putaret. Qualia verò nunc ex iis locis per repetitos nuncios afferantur, nemini hodie ignotum eſſe arbitror. Jeſuitas tamen videmus & audimus omni narrationi acerrimè contradicere, quod ipſum indicio eſt, rem ipſorum ibi actam eſſe, & adhuc agi, ut quicunque tandem eventus (utinam bonus) ſecuturus ſit, non aliis principaliter eum quàm ipſismet imputare poſsimus. Quale autem meum ab initio, quamprimum conſiliorum iſtorum aliquid in vulgus emanavit, de molitionibus illis judicium fuerit, multis magni nominis Viris, quibus cum ſermonem ea de re contuli, notum eſſe ſcio. Ipſi nempe cauſæ in genere melius fundamentum optabam. Deinde

Dèinde rem per ſe periculi plenam eſſe apertè profitebar. *Horatianum illud* de conatibus hiſce ſubinde uſurpans [illegible]

& arma
Nondum expiatis uncta cruoribus
Periculoſum plenum opus aleæ
Tractas & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Denique ſic præ me ſemper tuli, ſi Jeſuitæ negocio huic ſe immiſcerent, nullum ejus bonum eventum expectandum, hos enim omnia turbaturos. Et ſi res feliciſsimè cadat, Imperium illud ab ipſis perturbatum, & motibus inteſtinis repletum iri, qui nobis fortaſsis tempore non æquiſsimo negotium faceſſere poſſent, quemadmodum in Suecia nobis non ita dudum accidit. Quàm verus autem aut falſus in his omnibus fuerim, utcunque rei iſtius famâ hactenus ſtudioſè tamen ſupprimatur, ipſum tempus aliquando revelabit. Audio nunc *quoſdam muſsitantes Patres* Societatis Jeſu in ipſam etiam Perſiam penetraſſe, & neſcio quem inſperatum Regis iſtius favorem experiri. Quod ſi verum eſt, nemo ambigat, quin hoc etiam Imperium, per quod hactenus Othomanidis à tergo ſecuris injicitur, turbaturi & factionibus repleturi ſint, ut Turcis hac ratione reſpirandi ſuique recolligendi ſpacium præbeant.

Jeſuitæ Juventutis inſtituendæ artificioſiſsimi Magiſtri.

Religionis conſervatrici propagationi ſubjungitur *Inſtituendæ Juventutis neſcio quod occultum & exoticum artificium.* Propter quod Reſpublica (ſi utique Eccleſia jacturam hanc negligere poſſit) Jeſuitarum operâ carere nullo modo queat: Et hic prætextus ſuperioribus æſtimationis pondere non multum cedit, cujus tamen Vanitatem Viri in omni diſciplinarum genere exercitatiſsimi, qui Romano-Catholicam religionem publicè profitentur & defendunt, jam dudum Orbi demonſtrarunt: Rationibus firmiſsionis evidenter oſtendentes,

tes, Jesuitas primum & Jesuitarum institutum bonis literis & earum reflorescenti splendori plus offecisse, quam ut easdem promoverint; Ostendentes insuper disciplinam Jesuiticam meram corruptelam esse ingeniorum: quorum videlicet aciem retundat, & pro eo, quod illa liberali institutione informare & excitare debebat, quendam eis potius stuporem inducat. Etsi autem probè sciam quàm hoc etiam multis prorsus incredibile videatur, ego tamen aliquot hic præstantissimorum Virorum testimonia proferre possem, eorum inquam, quorum nonnulli in præcipuis hodie Reipublicæ officiis versantur. Quos non semel conquerentes audivi, se coactos esse Jesuiticæ institutionis vitia aut peregrinando corrigere, aut eadem, postquam jam ad Rempublicam animum applicaverunt, ipso rerum usu dediscere. Quorum judicio experientia ipsa adstipulatur, cùm constet inter ipsos hæreticos, quos hæc secta nempe à nobis pro talibus tractari & haberi vult, Viros inveniri in omni disciplinarum genere exercitatos, qui ad omnia Reipublicæ munia obeunda idonei essent, nisi invidia eos premeret: Etsi Jesuitica Institutione nullo unquam tempore usu sint. Quomodocunque tamen hæc se habeant, illud apud me fixum manet, si quæ Jesuitis hac inparte ab aliquibus tribuuntur omnia verissima essent, & ipsi in Poloniam nostram alteras Athenas importassent, illud tamen minus vile precium esse æstimandum, pro patria libertate, quam pro hac operâ licitantur; Cum præsertim eruditæ doctrinæ fructus aliunde non minus commodè quàm à Jesuitis habere possimus.

Jesuitæ actuales. His tertio loco à nonnullis subjungitur: *Jesuitas homines esse actuales, quorum in rebus arduis expediendis magna sit dexteritas, eximia fides &c.* Multis hoc in ore est, qui pro Jesuitis nituntur, quos equidem admirari soleo, si quidem sub hac Actualitate, ut eandem quam mollissimè interpretantur, aliud nihil quàm civilem quandam industriam in expediendis negotiis poterimus intelligere, qualis scilicet in Aulicis ministeriis præcipuè requiritur. Sed Jesuitæ hactenus nihil minus videri volunt, quàm quod secularibus negotiis se immisceant, aut eorumdem tractandorum periti sint. Ideoque eos, qui tale quid de se spargunt aut credunt, vel pro apertis Hæreticis vel Pseudo-Catholicis haberi jubent. Itaque videant qui eos hoc nomine tantopere commendant, ut eos propterea retinendos censeant, qua ratione hæc inter se concilient.

Ego interim Poloniæ milites potius & Aulicos, mihi vèrò Servitores Actuales, Ecclesiæ autem Monachos & Religiosos, pios, doctos, & devotos opto. Veruntamen, si, quod res est, fateri volumus Epitheton hoc Jesuitis nimis verè competit, de quo totus Orbis, inprimis tamen Europa adeò luculenter testatur; Et nos etiam hactenus Actualitatem eorum ita sumus experti, ut si inter nos ad hunc modum diu pergere debeant, de illis Comicum illud rectè usurpaturi simus: *Quod si annitantur, ex unis nuptiis geminas nobis effecturi sint*, duplicato nimirum, quo in præsentia urgemur, infortunio.

Sed quid putabimus Augustinum reliquosque istorum temporum Patres de ejusmodi Actualibus Monachis fuisse dicturos? Aut quis etiam in secularibus negotiis tàm demens fuit, ut in servo nequam veteratoriam calliditatem laudârit, aut exploratoris exteri solertiam ita commendarit, ut eum propterea sibi fovendum existimasset? *Vos igitur Proceres* hic scire velim, ingenio præstante & versatili nihil perniciosius esse, si vires suas ad res malas applicet. Ideoque hanc ipsam Jesuitarum Actualitatem egomet inter justissimas metus nostri causas refero, quæ nobis veternum excutere, nosque ad seriam rerum nostratium curam excitare debent. **Notate benè istam Jesuitarum actualitatem.**

Illud autem quod de expediendi dexteritate adjicitur, testimonio destituitur. Quid enim egregii natio hæc inter nos præstitit, quidve tàm dextrè expedivit, aut quod potius bonum **NB. NB. Jesuitarum in rebus tur-**

num non impedivit? Nisi fortè amissam Sueciam, devastatam Livoniam, afflictam Galliam, tentatam Scotiam, Anglicas conspirationes, & tot nobilium hominum tragicum interitum, Venetianas practicas, Moscoviticas turbas, perturbatam Ungariam, oppressam Styriam, Carynthiam, Carniolam, & quæ hactenus in Polonia ediderunt aulica Progymnasmata, pro Jesuiticæ dexteritatis operibus nobis sint habenda? At res quidem arduas aggrediendas & invadendas satis adhuc audax est hæc secta; audaciæ verò illius eventus is hactenus ubique sequitur, ut turbæ maximæ ab illis excitentur: tales nimirum quales citra infiniti ferè sanguinis effusionem adhuc nec sisti nec sedari potuerunt. Quem igitur hæc agendi dexteritas delectat, is videat & provideat, ne quid Respublica Jesuitica detrimenti in Polonia capiat.

bandis (expediendis dicecere volebam) dexteritas.

Nec id quod de illorum eximia fide prædicatur, certioris fidei est: Quod tamen illis fortè persuaderi poterit, qui vel Jesuitarum arcanas designationes prorsus ignorant, vel quibus illi alias os ita oblinunt, ut propter certas causas ad eorum palatum omnia dicant & faciant: Quod si tamen aliquis fidem Jesuiticam verbis extollere velit, dico eam, quanta quanta est, totam exteris & citra ullum boni Polonici respectum, addictam esse, & arctisſimè obligatam: Hujusmodi inquam exteris, qui etsi corpore à nobis absunt, Consiliis tamen & occultis machinationibus nimium interdum inter nos familiariter conversantur. Cum his ergo si nobis fortè aliqua controversia incidat, ecquid illi nobis de Jesuitarum fide polliceri poterunt? An non verò in Galliis, Anglia, Scotia, Ungaria, Venetiis, satis jam conspicua fidelitatis suæ documenta in publicum ediderunt, si ad nostratia utique cœcutimus? Et quid in re manifestâ verbis opus est, cum nulla hodiè Europæ Christianæ natio sit, quæ non de Jesuitarum perfidiâ, aut saltem perfidiæ suggestione & excusatione conqueratur, si unam Hispaniam excipias.

Jesuitica fides Poloniæ inutilis.

His

His denique à nonnullis additur: *Inconveniens esse, ut Jesuitas Poloni expellant, cùm Galli, qui propter longè graviores causas eos ejecerant, eosdem revocaverint, ubi etiam citra ullum Reipublicæ incommodum vivant &c.*

Ego verò novi Jesuitas in Galliam reversos esse, sed quod à Gallis revocati fuerint, ne ipsi quidem, quamvis multa dicant, facilè dicturi sunt. Interim verò artes, quibus se in Galliis denuò insinuarunt, tales sunt, ut propter illas ipsas ejectionem eorum inter nos maturandam existimem. Ex illis enim liquidissimè perspicitur, quantum hic genius intra Europam, in versando & circumagendo rerum Civilium cardine polleat. Hoc enim sciendum, Jesuitas in Galliam non propter aliquem eorum usum, quo Regnum illud carere non posset, receptos esse: sed ad vehementissimam summi Pontificis instantiam: Quem videlicet Rex in tàm infida cum vicino potentissimo pace offensum nolebat: Cui tamen serium Catholicissimi studium vix probaturus erat, quamdiu Jesuitas Regno arceret. Interea ne illud quidem dubium est, Eos, qui summo Pontifici in illa restitutione promovenda operam suam apud Regem præstiterunt, majora Romæ præmia consecuturos esse, quam omnes, quicunque hactenus Reipublicæ militarunt: Quamvis non desint qui existiment Henricum IV. hac etiam ratione securitati suæ consulere voluisse, quod aliàs à Jesuitarum ejectorum insidiis nunquam tutus esset futurus. Quod autem hactenus pacatè dicuntur vivere, id si verum est, admirationem meretur; quantumvis causas gravissimas habeant, cur se in tàm recenti anteactorum memoria ad tempus cohibeant, sub illius præsertim Regis imperio cujus autoritatem, quam sibi rebus gestis comparavit, non immeritò verentur & metuunt. Quid autem futurum sit, si præsenti rerum Gallicarum capiti aliquid humani accideret, rerumque administratio, ut antehac factum meminimus, ad minorennes hæredes devolveretur, facilè erit divinare; cum verendum sit, Galliam tùm commissi

Gallia Jesuitas recepit.

Jesuitæ cur in Gallia pacatè vivant.

missi in recipiendis Jesuitis erroris effectum cum suo magno malo sensuram. Nos vero hactenus causa nulla per DEI gratiam urget, ut Gallorum similes facti, tàm ambigui jactus aleam subeamus.

Hæc ferè pro Jesuitis ab iis afferuntur, qui persuasi sunt nec Rempublicam nec Ecclesiam gentis istius operâ commodè carere posse. Præter quos etiam alii sunt, qui etsi Jesuitarum acta omnium mininè probent, in eosdem tamen nil graviùs statui patiuntur, quod hoc citra maxima Reipublicæ incommoda ne tentari quidem posse existiment.

Jesuitarum religiosæ modestiæ parum fidendum.

Itane *Fratres* res nobis jam eò redierit, ut aut Jesuitæ & Jesuitismus tolerandi, omnesque illorum machinationes cum tàm præsenti Reipublicæ periculo perpetiendæ sint, aut extremum rerum discrimen adeundum? Ubi ergò tunc manebunt illa Ordinis istius elogia, quibus ab initio nobis commendati sunt? Quod homines sint innocentissimi, pacifici, quod spiritualibus contemplationibus toti addicti, in quibus Poloni hujusmodi prorsus Clericos habituri sint, quales jam dudum desideraverint? Ab his ergò talibus ecquid nobis timendum erit?

Ego tamen jam dudum novi, Bilem hanc citra molestiam ex Reipublicæ corpore nunquam evacuatum iri, postquam jam nostrâ incuriâ ad viscera tàm altè penetravit, ipsasque præcipuè vitales partes tàm arcte obsedit. Existimo tamen periculum aliquantò minus futurum, quam plærique sibi imaginentur.

Quæ enim incommoda nobis narrant, quæ Jesuitarum expulsionem secutura sint? Pontifex, inquiunt, & Hispanus, gravissime offendentur. Magna profectò numina, quorum-

rumque ira nobis haud leviter æstimanda est? Quid enim de Polonia futurum existimabimus, si *Saturnum & Jovem* Europæum tam malè dispositos habeat? Ego verò heîc servi illius Comici expostulatione uti possem: *Possum nescire, quot mihi heîc Domini perferendi sunt?*

Incommoda quæ Jesuitarum expulsionem secutura sint.

Ne tamen nimis alicui confidens & securus videar, de utroque aliquid dicendum erit.

S. Pontificis offensio.

Ad Pontificis itaque offensionem quod attinet, de ea quidem nullus dubito, quin nimis certò secutura sit, agnosco etiam eam nobis formidandam esse. Cùm verò à Jesuitis longè graviora cogamur metuere, existimo hanc indignationem Polonis non nimium pertimescendam. Spero etiam ad eandem avertendam legitima media nobis non esse defutura. Summus enim Pontifex aut bonus est & talis, qui memor sui officii, Regni Poloniæ, æque ac omnium aliorum Christianorum regnorum optimum statum promotum ac conservatum cupiat. Cum tali itaque sperandum esset nobis facilè conventurum, si nempe missis legatis ei ad oculum demonstraverimus Rem Polonicam, nec cum Jesuitis, nec cum Jesuitarum hactenus usitatis artibus, consistere potuisse. Nec dubito, quin is tempori cessurus, Reipublicæ facilè remissurus sit. Aut idem malus talisque est, qui suæ tantùm libidini, citra ullum Reipublicæ aut æquitatis respectum indulgeat, omniaque prius sursum deorsum ferri patiatur, quàm ut quod malè ceptum est, corrigi sustineat: Tum verò iram ejus ne curandam quidem existimo: Neque enim ulla vel divina vel humana Lex Polonos obligat, ut aut suum ipsi periculum sibi scientes accersant, aut Summi Pontificis injustæ sibique præjudiciali voluntati, se per omnia conforment.

Qua in re si meum alicui Judicium suspectum esset, Majorum exemplis erudiri se patiatur, ut cogitet, quid ipsi in simili

mili casu fecerint. Cui enim ignotum est, quanta animorum contentione Romani Pontifices olim Crucigeros contra Regnum Poloniæ defendendos susceperint, quàm atrocia Regibus nostris plærumque minitati sint; Resque tandem eò processit, ut circa annum 1456. si Æneæ Sylvii Epistolis credimus, Romæ excommunicatio contra Regem Regnumque Poloniæ decreta fuerit. Neque tamen hisce minis, quamvis ipsius etiam Imperatoris Friderici III. indignatio eas acueret, ad eum modum perterreri se passi sunt Majores nostri, ut non potiorem salutis Reipublicæ quàm indignationis Pontificiæ respectum habuerint. Ovum autem ovo tàm simile nunquam esse poterit, quàm benè Jesuitarum institutum, mores & actiones cum Crucigerorum ordine rebusque gestis conveniunt.

Majores olim nostri Reipublicæ salute nihil antiquius habuere.

Nam ortus ratio & occasio ferè eadem utrobique fuit: Utrumque institutum ad unum eundemque finem, per diversa saltem media, fuit directum: Forma Politiæ exceptis paucis Circumstantiis eadem fuit: Uterque ordo progressus longè celerrimos fecit dilatatæque per eos Christianæ Religionis & imperii laudem tulit: Uterque tandem à seipso ita degeneravit, ut iis, pro quorum defensione instituti fuerant, graves & molesti esse ceperint.

Jesuitæ Crucigerorum spurii.

Differentia saltem in eo consistebat, quod Crucigeri professione milites erant, remque apertis armis contra Majores nostros gererent, quorum legitima remedia Polonis nunquam deerant:

Hoc verò malum intra viscera nostra hærens iis artibus nos oppugnat, quarum Polonia ante hac prorsus imperita fuit. Quæ res facit, ut existimem, eos novæ illius Sectæ institutum omnium rectissimè æstimare, qui Jesuitas *Crucigerorum spurios* dicunt. Cum itaque Majoribus nostris olim nec indignatio nec autoritas obstiterit, quo minus Crucigerorum injurias acerrime vindicarent, regnum tuerentur. Cur in simili casu

su hujusmodi spectris nos terreri patiamur? Sin tamen hæc alicui forte nimis antiqua viderentur, illi recentius exemplum habent, quod Avorum memoriâ accidit.

Sigismundus I. quem inter optimos suos Reges Polonia non immerito recenset, quem etiam Romana sedes adhuc pro genuino obœdientiæ filio agnoscit & prædicat, *Albertum Brandeburgicum* cum ditione Borussiaca in fidem ac clientelam suam recepit tùm, quando propter abdicatum Crucigerorum Ordinem, & desertam Religionem Romanam non solùm à Pontifice, sed ad hujus instinctum ab imperio Romano sub potentissimo Imperatore Carolo V. excommunicatus & proscriptus erat. Aula tamen præcipuè Romana fremebat & indignabatur, quod tota Borussia hac ratione ab Ecclesia in utroque foro abalienaretur. Nec Sigismundo parsura fuisset, si excommunicationis aliquem potentem executorem potuisset habere: Hic enim desiderabatur, quod tamen is susque deque tulit. Et quid ego de Regibus dico, cùm nostra hæc ætas ejusdem magnanimitatis & egregiæ fidei illustre exemplum in ipso Regni primate habuerit? Fuit is *Jacobus Uchansky* Archiepiscopus Gnesnensis, cui, cum Summus Pontifex Excommunicationis telum intentaret, quod animadverteret, eum in Consiliis publicis majorem salutis Patriæ, quàm sedis Romanæ respectum habere? Is se adeò non passus est à proposito dimoveri, ut Pontifici potius rescripserit, se si pergeret ei Reipublicæ nomine molestiam exhibere, intentatum fulmen in ipsum retorsurum. Quo responso ictus Pontifex Archiepiscopum missum fecit, ut qui nosset, hoc ei in Polonia facilius factu, quàm dictu fuisse.

Albertus Brandeburgicus.

Cujusmodi libertatis Spiritum, si ex illius successoribus hodie sub hac inquam Jesuitica animorum dispositione, aliquis sibi usurpare præsumeret; Ecquid *vos Proceres* de eo futurum putatis? Annon ille quantocyus ad Patres ire cogeretur? Hæc igitur masculæ Virtutis exempla, quoties in

 Majo-

Majoribus noſtris confidero, toties admirari cogor, quæ res hodie noſtratium Prælatorum animos ita immutârit, ut in multò levioribus caſibus tantas ſibi difficultates imaginentur. Dum interdum Summi Pontificis neſcio quæ Regalia allegant, quæ inviolata retineri volunt. Non aliter quàm ſi Polonia jam duos Reges haberet, unum Cracoviæ, alterum Romæ. Dum etiam Exterorum offenſiones ſæpius ultra modum allegant & exaggerant, Reipublicæ ſe tàm difficiles præbent. Quemadmodum jam aliquoties in deliberationibus de *Moldavia*, *Walachia*, & tandem etiam *Transſylvania* fieri vidimus. Ideoque ſic tandem exiſtimo: Eos qui à Summi Pontificis offenſione ſibi tantopere metuunt, ſiquidem Jeſuitæ paulò durius tractari deberent, eo ipſo ſatis demonſtrare, quàm frigidè erga Rempublicam affecti ſint, & ſuſpicionem de ſe non exiguam præbere, quod privata commoda illis Patriæ ſalute potiora ſint. Quales ſi Majores noſtri fuiſſent, Boruſſia nobis hodiè carendum, & in hanc usque diem cum Crucigeris colluctandum eſſet. Sed & hanc ſcrupuloſam in hoc Ordine conſcientiam, nulli rei hodie, quam Jeſuiticæ, de qua dictum eſt, diſpoſitioni debemus.

Clerus Polonicus à Jeſuitis corruptus.

Ubi tamen mirari cogor, quid hi, qui eis hac in parte eatenus aſtipulantur, ut Summum Pontificem nullo jure offendi patiantur, poſteritati aliquando reſponderi velint, ſi nempe illa ex noſtrorum temporum hiſtoria reſciſcat, Rempublicam Venetam propter repetitas à Pontifice aliquas Ducatus Ferrarienſis particulas, & propter improbatas quasdam non maximi momenti Conſtitutiones, pro libertatis ſuæ defenſione Jeſuitas ex Dominio ſuo univerſo expuliſſe, & intentatam propterea Sanctæ Pontificis Excommunicationem, uſque ad aperti belli periculum contempſiſſe: Cum interim Majores ſui in Polonia libertatis alumna meticuloſi fuerint.

Quodſi etiam in hiſce rebus nos ad eum modum à ſummi Pontificis arbitrio patiemur ſuſpendi, Polonorum conditio multò

tò deterior, adde & ſervilior erit futura, quam ipſorum Moſcorum: qui in conſiliis publicis nulla alia quàm ipſius Principis Reique publicæ Regalia reſpectant & attendunt. NB.

Ad Hiſpanum quod attinet, Ego non video, quæ ei juſta offenſionis cauſa à nobis præbeatur, ſi nos noſtræ Reipublicæ pro noſtrarum rerum exigentia, pro virili ſtudeamus conſulere citra ullum ejus præjudicium? Cur etiam illum magis offendat, quòd nos Jeſuitas expellimus, quàm nos hactenus offendit, quòd ipſe Eos, ut ſibi commodos, tàm indulgenter fovet? Quid ſi verò Rex Hiſpaniæ Rex Poloniæ audire vellet (quod equidem quo minus ad libitum conſequatur, per Jeſuitas non ſtabit) num ad cavendum ejus indignationem hoc ei concedendum eſſet? Si denique eò nos demiſerimus, ut domi nobis nihil agere aut tentare liceat, niſi quod Aureo Velleri probetur, ecquam Rempublicam in Polonia habituri ſumus?

Hiſpani offenſio quanti Polonis in hoc caſu æſtimanda.

Verum hic nonnulli adhuc pergunt excipere: Iniquum eſſe, ut Jeſuitæ, inter quos non pauci Nobiles ſunt, nec auditi, nec legitimè convicti regno expellantur: Itaque eos in jus vocari prius, cauſamque cognoſci volunt &c. Et hoc aliquid, quod dicitur, quodque apud omnes bonos juſtique ac æquitatis amantes tantò plus meritò valere deberet, quantò multorum hodiè in torquendo corrumpendoque jure audacia magis conſpicua eſt. Hic tamen exceptio illa locum habere nequit, propter cauſas, quæ ſequuntur:

Primum enim in iis, quæ Reipublicæ ſalutem concernunt, non ſemper neceſſe eſt Ordinarium Juris Proceſſum tàm ſuperſtitioſe obſervare, quàm pacata Republica fieri conſuevit: quando videlicet Reipublicæ ſtatus hujusmodi præſentem opem flagitat, ut periculum in morâ futurum eſſet.

Deinde hic non in certas perſonas agitur, aut de Facti alicujus Jure quæritur, qualis nempe illa ſuper Judæorum Bochnicen-

nicensium scelere quæstio fuit, quæ hic pro exemplo adducitur: Sed hic de incommodis & detrimento Reipublicæ quæritur, quæ ei ex Jesuitarum instituto semper metuenda sunt, si personæ ipsæ puri Angeli essent. Hos igitur qua ratione in jus vocabimus?

Tertiò scire velim, quod Forum Jesuitæ in Polonia, quem Judicem agnoscant, cuive juri se submittant, ex quo contra illos agi queat? Miror denique quem ampliorem aliquis in Polonia Juris Processum desideraturus esset, quam si totius Equestris Ordinis Deputati publicè convenientes unanimiter decernant, Institutum Jesuiticum contra Rempublicam Libertatemque Polonicam venire, ejusque abrogationem à Regia Majestate flagitent? Qui inquam his suffragiis condemnatur, num is parùm legitimè condemnatus censebitur?

Denique & hoc à nonnullis hic objicitur, Etiam domi & intra parietes multos offensum iri; cui aliqui adjiciunt: *Si Jesuitæ extra Regnum proscribi debeant, etiam alios, & illos præcipuè Evangelicorum ministros, una exturbandos &c.*

Quibus ferè Jesuitarum expulsio omnium ingratissima fit.

Ad prius quod attinet, de multorum intra domesticos parietes offensione, ego *Primum* nescio, quinam illi multi futuri sint, quorum offensionem nobis tam periculosam imaginari debeamus, si præsertim reliqui Cleri securitati caveretur? Cum enim heîc nihil aliud, quàm salus Reipublicæ ejusque in longum propagatio quæratur, nemo hinc tumultuandi occasionem habere poterit, nisi fortè fortunas suas cum Jesuitis ita conjunxerit, ut cadentibus illis ipse stare nequeat. Et hi ferè illi sunt, qui eis omnium molitionum & consiliorum, fortè etiam contra Regnum sunt conscii. Et quamvis verendum est, eorum plures esse, quàm expediat, ne horum tamen offensio nobis perinde æstimanda est: Cum nemo dubitet, quin bonorum Civium, qui Rempublicam salvam cupiunt, multò major pars in omnibus Regni partibus futura sit.

Sed

Sed esto, ut hic fortè nobis aliquid molestiæ sustinendum esset, nùm propterea Medicinam respuemus? Quæ purgatio ægroto unquam tàm feliciter cessit, ut non aliquid ex illius operatione torminum senserit? Quod si Jesuitarum expulsione illos fatales tumultus avertere & præcavere possemus, qui hactenus plerasque Europæas Provincias tàm duriter afflixerunt, quo de egomet planè sum persuasus; Resnè digna censebitur, propter quam etiam incommodi aliquid patiamur? Si publicæ Libertati, si regno nihil periculi est, si privatorum corpora & fortunæ in tuto sunt, ecquid tumultuamur? Cur exterorum insidias & conspirationes metuimus? Sin verò hæc omnia nobis ita imminent, ut Jesuitarum si non principales Autores, perniciosos saltem Actores, Promotores & Internuncios noverimus, ecquid amplius cunctabimur?

Inpuniendis pacis publicæ perturbatoribus non personæ sed factum respiciendum.

Ad alios verò Evangelicorum præsertim ministros quod attinet, si in eadem turbatæ & oppugnatæ pacis publicæ culpa cum Jesuitis hærent, nil equidem causæ, quo minus & illi, & quicunque crimini huic quocunque modo affines deprehenduntur, cum eis expellantur. In suspicione enim turbatæ Reipublicæ neminem quodcunque vitæ genus tueri potest, aut eidem patrocinari debet.

Ministrorum Evangelicorum intra regnum conditio.

Sed nunquid heîc res cum re, aut causa cum causa conferri poterit? Quemnam Pontificem aut Hispanum ministri illi intra aut extra Regnum habent, cui hunc agrum arent, aut serant, ad quem eis rebus heîc perditis perfugium pateat?

Quales etiam in Aula & circa Reipublicæ clavum illorum partes sunt, aut in æternum esse poterunt? aut quæ prædia hi in detrimentum Nobilitatis coëmerunt? quasve immunitates in fraudem Reipublicæ consecuti sunt? Et quæ etiam illorum vires sunt, propter quas Reipublicæ formidabiles aut saltem suspecti esse debeant? Quorum divitiæ ferè omnes in lacera & detrita ut plurimum Reverenda, ut nostrates loquuntur, & Bibliorum,

bliorum, adde ſi res lauta eſt, Auguſtini Codice, nudaque & numeroſa prole conſiſtit.

Ipſi denique Evangelicorum Miniſtri, an non unius cujusque pagani Præfecti ſuperioritatem agnoſcere, eidemque ſe ſiſtere coguntur? Collatio itaque hæc prorſus inepta, adde & ridicula eſt.

Sunt fortasſis & alia, quæ pro Jeſuitis ab illorum Fautoribus nobis objici poterant, ſed ea vix majoris momenti erunt, quàm quæ jam allata ſunt. Ideoque hæc ſufficient, ex quibus reliqua faſilè dijudicare poteritis.

NB. NB. Ex his ergò, quæ hactenus demonſtrata ſunt, firmiter concludo: iis qui hoc tempore Rempublicam reſtitutam, ſanatam & impoſterum ſalvam eſſe cupiunt, ſi ordine procedere, ſi laborum ſuorum aliquem fructum ſibi polliceri volunt, ante omnia operam eſſe dandam, ut *Jeſuitæ extra Regnum abigantur, ſed ita ut abacti obdito peſſulo à reditu prohibeantur.*

Expulſionis Jeſuitarum qualis effectus ſperandus.

Expulſa autem & expugnata hac acri & ardente bile, Morbi noſtratis paroxiſmus in genere & paulatim lenietur, reliquæ partes affectæ, Clerus præcipuè ſanabiles, & tractabiliores reddentur, poteritque, quod luxatum eſt, per ocium, citra gravioris alicujus ſymptomatis metum curari & reſtitui.

Quamdiu verò hic incendii febrilis fomes intra Reipublicæ viſcera retinebitur, nulla nobis ſalutis & ſecuritatis ſpes relinquetur. Quodcunque enim machinabimur, quibuscunque emplaſmatis vulnera ligare & obducere ſtudebimus, opera & oleum nobis peribunt. Malumque in hac Corporis Polonici Cacochimiâ, ad levisſimam quamque occaſionem recrudeſcet. Neque enim Jeſuitæ licet omnia cætera ſanentur ad Regni Poloniæ Legumque Polonicarum ſimilaritatem in æternum

num reducentur, aut illa ſub hoc, qui adhuc qualitercunque durat, ſtatu probent.

Particularis purgatio quo modo ſecundum nonnullos inſtituenda.

Ideoque ne eos quidem audiendos cenſeo, qui ut res minus odioſa ſit, non univerſalem purgationem cenſent inſtituendam, ſed per partes tantùm bilis iſtius detractionem & imminutionem faciendam putant: *Verbi gratia:*

Sunt, qui eos tantùm extra Regnum propellendos exiſtimant, qui vel clandeſtinarum machinationum contra Regnum cooperatores, aut ſaltem conſcii fuiſſe deprehenduntur, vel quorum ſeditioſus fervor publicæ paci præcipuè periculoſus cenſetur. Sunt qui hanc Jeſuitiſmi diminutionem à locis incipiendam ſuadent. Ut nempe ex primariis Regni Urbibus, aut ubicunque ab eis Reipublicæ inſigne aliquod periculum metuendum eſſet, removeantur. Sunt denique qui putant, publicæ ſecuritati ſufficienter proſpectum iri, ſi latis legibus intra arctiores carceres redigantur. Hæc igitur Conſilia paucis diſcutiamus.

De his primùm in genere ſic dico: Cum quacunque Jeſuitarum offenſione, ſive eos in univerſum expellamus, ſive audaciam illorum ad certam quotam reſtringamus, Pontificiæ indignationis invidiam nobis ex æquo metuendam eſſe; quam tamen plærique omnium maximè cavendam cenſent.

Particularis expurgationis incommoda.

Hoc ſaltem diſcriminis erit, ut ſi partem aliquam Jeſuitiſmi intra viſcera retinuerimus, tanto plus nobis periculi ab eodem Pontifice futurum ſit. Cum igitur cum particulari offenſione tantumdem difficultatis ſubeundum ſit, quantum cum totali expurgatione, cur non hanc ut utilisſimam & certisſimam præferemus? Imò hanc ego omnibus hic ceu maximam præſcribo: *Jeſuitas facilius ex Regno expulſum, quàm intra Regnum in ordinem redactum iri.* NB.

Dico amplius, eos vehementer errare, qui ſperant Bilem hanc ita cautè poſſe moveri, ut non protinus exardeſcat & exaſpere-

asperetur, & ut non omnes vindictæ occasiones studiosissimè conquisituri sint, quidcunque fortè ad tempus, propter præsentem necessitatem simulent. Quæ occasiones intra & extra Regnum ingeniis istis nunquam defuturæ sunt. Quod si ergò resumptis aliquando animis & viribus, denuò aliquid, & fortè periculosius quiddam moliantur, quid tùm facto opus erit? Num quotannis in Jesuitarum gratiam Generalem *Rokosz* celebrabimus?

Jesuitarum omnium æqualis culpa.

Deinde in specie iis, qui nocentissimum quemque ex Jesuitis exterminandum censent, responde: Nec causam nec culpam earum rerum, quarum Jesuitæ insimulantur, ita partiri & separari posse, ut altero alter mitius aut durius tractandus sit. Sic enim jam ostensum est, Sectam hanc tàm arctè inter se compactam esse, ut totum corpus, & cum hoc omnia ejus individua membra, in harum præcipuè rerum praxi, de quibus nobis sermo est, in unum conspirent, & ad unum scopum mente, corpore, fortunisque ferantur.

In una itaque eademque culpa omnes æqualiter hærent: differentia, si quæ est, in ingeniosarum saltem virium inæqualitate consistit, ut quod unus aut alter fecit, omnes facturi fuerint, si vires aut occasio non defuissent. Nec credo auditum esse, ut Jesuita aliquis à tribulibus suis, ob quodcunque etiam detestandum facinus publicè damnatus, aut etiam reprehensus sit.

In hoc enim genere non peccant, dummodò facinoris perpetratio in illum finem dirigatur, quem Jesuitis in specie propositum esse ostendimus.

Quod autem de nonnullorum seditioso fervore affertur, illud per se speciosum est: Ego tamen sic existimo illos nondum pessimos, aut etiam Reipublicæ periculosissimos esse, qui Posnaniæ, Cracoviæ &c. nullo prorsus habito respectu S. Majest. Regiæ præsen-

præsentiæ ædes exurunt, Cœmeteria invadunt, sepultorum corpora refossa immaniter violant: (contra hanc enim rabiem, licet in hunc usque diem impunita manserit, vel tandem remedium aliquod invenietur) sed illas potius vulpeculas nobis observandas censeo, quæ per Sudetas montes Alpiumque juga hinc inde commeantes, Exoticarum artium Spiritum ferunt & referunt. Denique remedium hoc, si tàm benè caderet, ut nocentissimi qui sunt, exterminarentur, nos tamen, saltem ad tempus relevaret, tàm diu nimirum, donec his alii septuplo pejores submitterentur. Num verò hoc satis justum operæ precium censeri debebit? illius inquam operæ, quam Reipublicæ tantis sumptibus, tanta Nobilitatis defatigatione, nec sine nostro periculo præstare conamur.

Jesuitarum studia quæ nocentissima.

Qui verò eos ex Aula & primariis Regni urbibus expellendos suadent, illi quidem aliquantò fortius consulere videntur, sed non multò plus, quàm priores proficiunt. Videntur quidem certas Reipublicæ partes nonnihil sublevari, videntur etiam Jesuitis præcipuæ nocendi occasiones ea ratione præcidi. Egoque jam dudum ita persuasus sum, Nullum gravius in Rempublicam peccatum à nobis commissum esse, quàm quod Jesuitis in hisce regni arcibus, ad expediendas suas machinas tantum spacii concessimus. Id quod fortè tum demum sensuri sumus, si aliquid fortassis periculi, à Meridie & Occidente nobis ingrueret.

Heîc tamen admirari cogor, quibus rationibus Consilii hujus auctores ducantur, quod in Reipublicæ curatione potiorem Urbium quàm Equestris Ordinis, ipsiusque adeò Cleri respectum habeant? Itaque eos libenter interrogarem, quid putent singularis auxilii ad Rempublicam rediturum, si primariæ Regni Civitates exonerentur, & pestis hæc interim liberè in Nobilitatem grassetur? sique peregrinismo huic liceat reliqui Cleri animos continenter sollicitare, & in transversum agere? Ecquam illi tùm rebus nostris spem securitatis faciant? Hi ergo in eo periculosè

Secundi consilii absurditates.

riculosè falluntur, quod existimant Malum Jesuiticum intra Urbium ædificia contineri, ut ibidem saltem, aut tantum potissimum Reipublicæ noceat. Cum hæc primum ipsius Aulæ, ut ostensum est, deinde publica animorum pestis sit, à quo Nobilitati & Clero & per hos demum Reipublicæ præcipuè metuendum sit.

Propter Clerum Jesuitæ præcipuè sunt expellendi.

Quin immò, dùm Jesuitas in universum extra Regnum propellendos suadeo, in eo Cleri Polonici quàm maximum respectum habeo, cujus excessus non aliter quàm bilis hujus ferventis subtractione corrigi posse existimo.

Ex his ergò iterum perspicitur, ne hujus quidem Consilii eum inter nos effectum sperandum esse, quo nobis ad res nostras componendas & firmandas opus est.

Restant ii, qui Jesuitas non solùm ex Aulâ removendos, & ex Urbibus expellendos, sed etiam latis legibus intra Monachorum claustra redigendos, & Ordinariorum jurisdictioni, (hoc enim à nonnullis additur) subjiciendos consulunt.

Videntur & hi aliquantò longius progredi, quibus ego ad vitandam majorem invidiam omninò parendum suaderem, si ulla saltem consilio huic spes subesset: sed hanc sequentia mihi in universum præcidunt.

Tertii Consilii vix ullus effectus sperandus.

Primùm Jesuitas ita animatos esse certò novi, ut omnia potius moturi, omnia turbaturi sint, quàm ut splendoris & existimationis illius, qua ipsorum Ordo hactenus supra reliquos Religiosorum Ordines, ipsumque Clerum universum eminet, vel minimam jacturam subeant. Jesuita autem si ex Aula excludatur, si in versando Reipublicæ clavo non omnibus aliis præpolleat, si à publico ita arceatur, ut claustro inclusus, alium, quàm proprium militiæ suæ Ducem superiorem agnoscere cogatur, si denique omnium arcanorum explorandorum occasio ei adimatur, à summo ad infima sibi redactus videbitur, ut qui jam nil amplius quàm vulgaris Monachus futurus sit. Quod dedecus Gens ista non mitiori indignationis affectu aversatur, quàm si nobilis aliquis Regnique dignitarius subitò in abjectissimæ plebis

censum

censum detrudatur. Cœlum itaque potius ruere patientur, quàm ut hanc in se ignominiam admittant.

Esto tamen, ut heic eos patientiores offendamus, quàm ego sperem, quæro igitur secundo loco, quibus vinculis eos constricturi simus? Certis legibus, inquies, publicisque Constitutionibus. Benè dicis, egoque fateor hæc justa esse in Foro politico coërcendæ libidinis media, quantumvis hactenus per illa non pro spe profecerimus.

Jesuitismi inclusi anceps & periculosa custodia.

Verùm hic ulterius quærere cogor, Eccui hujusmodi legum & Constitutionum, si quæ facta erunt, executionem commendaturi simus? Ordinariis locorum, respondebis. Ego verò agnosco ad ipsos munus hoc ex regni Legibus spectare, sed quid, si ipsi tàm odiosam Provinciam recipere nolint, aut excommunicationis Pontificiæ metu non ausint? Veruntamen sive recipiant, sive repudient, ne sic quidem Reipublicæ securitati prospicietur.

Primùm enim antiqua illa disciplinæ *Severitas* apud nos hodiè multùm remisit, qua apud Romanos olim parentes de liberis, si fortè in Rempublicam peccassent, supplicia sumebant: Verendumque propterea erit, ne optimo cuique ex hoc Ordine, & qui alias in Rempublicam rectè affectus est, illud in hac custodia vel imprudenti accidat, quod vir ille DEI *3. Reg. 20.* in historia Achabi sibi evenisse fingit, ut dùm ipse aliis rebus intentus est, captivus, cujus custodiam susceperit, aufugerit.

Deinde Experientia testatur, Ordinarios locorum hactenus magis Jesuitis parere & obnoxios esse, quàm quod hi illorum authoritatem aut jurisdictionem multum curent.

Quin imò hi pro Episcoporum Pædagogis se gerunt, quos etiam ut Aulæ Romanæ Coricæos metuere & observare coguntur. Qualem ergò coërcitionem ab illis expectare poterimus?

Tertiò sic dico, quodcunque de his omnibus fiat, nos tamen contra Sectam hanc Legibus nostris nil profecturos, in quo me experientia ipsa jam erudivit. Quid enim? *Confœderatio*

 publicæ

publica an non Lex est; an non Constitutio est, an non Polonorum jus est, publicis Regis & Nobilitatis Juramentis sancitum & confirmatum? Sed quid per hanc eandem hactenus contra hanc pestem Politicam profecimus? An non rabies ista per hoc efficacissimum (sic quidem majoribus nostris videbatur) remedium irritata potius est quàm cohibita? Quam petulanti lingua styloque satyrico livor iste hoc salutare institutum incessit, deridet & exsibilat? Si tàm laxum & molle capistrum Dæmon iste, adeò impatienter fert, qua ratione arctius duriusve quiddam feret? Cumque hoc isti Confœderationis publicæ Constitutioni faciant, per quam Jesuitismus propriè non læditur, ecquid de illis fiet, quas in perniciem suam factas recordabuntur.

Confœderatio quam civiliter hactenus à Jesuitis tractata.

Et quid tandum Jesuitis nos præscribere tentabimus, cum suis ipsimet constitutionibus, quæ contra hanc, de qua conquerimur, intemperiem ad speciem inter ipsosmet latæ sunt, non pareant? Anno enim superioris seculi 93. Jesuitarum superiores cum animadverterent, suorum potissimum scelere jam fermè perditas, coacto Romæ Generali totius Ordinis Conventu, statuto sanxerunt: *Patres Societatis Jesu cum omnibus, qui Ordini illi ascripti sunt, à causis & negotiis secularibus universum abstinere debere.* Huic igitur decreto ecquomodo hactenus inter nos paruerunt?

Statutum Conventus Jesuitici.

Sic igitur etiam contra hos tandem concludo, consultius esse, ut tàm fera bestia prorsus abdicetur, quàm ut Caveæ intra domum inclusa, cum nostro perpetuæ sollicitudinis cruciatu, custodiatur.

Morbi causæ ita tollenda ut ægroto etiam contra recidivam perspiciatur.

Dixi autem Jesuitas non solùm expellendos, sed etiam contra reditum omnia diligenter præcavenda esse. Neque enim expulsi quiescunt, ut non omnem lapidem moveant, quo ipsis redire liceat, ut sic hanc vesti Jesuiticæ injectam maculam vicissim eluant. De quo nos Gallia admonere debet, in cujus Aula Jesuitarum absentium practicæ tantum potuerunt, ut cum excussi dentis in ore Regio lacuna resarciri nunquam posset, Jesuitæ tamen reclamantibus Parlamentis, & obnitente prudentissimo quoque non solùm restituti sint: sed etiam Pyramis illa perpetrati sceleris æterna index fuerit demolita.

Hoc autem inter nos hac fortassis ratione omnium rectissimè præcavebitur: si primùm bona illorum immobilia in alios usus, ad publicam regni, præcipuè tamen Nobilitatis, cui major illorum pars detracta est, utilitatem convertantur.

Bonorum Jesuiticorum dispensatio.

Quod sic commodissimè fiat, si bonis literis consultum cupimus, quarum videlicet interitum plærique sibi per Jesuitarum expulsionem imaginantur, detur opera, ut ex iisdem Cracoviensi Academiæ de viris bonis, doctis, & in omni disciplinarum genere probè versatis extra ordinem prospiciatur: Aut si ita placet, præter hanc alia quoque intra Regnum Academia instituatur.

Deinde alibi in Regno scholæ hinc inde aperiantur, in quibus non solùm eruditis Præceptoribus honesta stipendia constituantur, sed etiam pauperibus Scholasticis, iis nempe, qui ingeniis valent, sed propter fortunæ tenuitatem literarum studia commodè persequi nequeunt, de victu & sustentatione provideatur. Idque tanto majori cura, quod ex Nobilitate etiam omnibus temporibus inveniantur, qui hujusmodi studiorum subsidiis opus habeant.

Et hæc ego singulorum Districtuum in Regno ceu Publica Gymnasia esse vellem, Quorum cura & inspectio certis ex Nobilitate utriusque Ordinis Viris & qualificatis personis commendari posset. Hoc si fieret, Juventuti nostræ, quæ in spem honorum & ad Reipublicæ ministeria educatur, cum pietate & bonis literis, Patriæ Legumque Patriarum amor & reverentia à teneris implantaretur, & Reipublicæ de viris idoneis ad eum modum prospiceretur, ut eidem ab exterorum factionibus & insidiis

diis minus periculi eſſet. Jeſuitarum etiam expulſorum deſiderium, ſi quod erit, intra paucos annos prorſus evaneſceret & obliteraretur.

Militum emeritorum Noſocomia.

Tertiò ſi quid ſupereſt, ut omninò ſuperfuturum puto, publica ex eo Noſocomia inſtituantur pro illis, qui in bellis ſe pro Republica ſtrenuè geſſerint, & vel vulneribus debilitati ſint, vel per ætatem militiæ labores non amplius perferre poſſunt &c. ut hæc militaris virtutis quaſi aſyla conſtituantur, ubi benè meritorum & emeritorum illa non turpis ſenectus honeſtè & liberaliter ſuſtentetur.

Cujus ſanctisſimi & utilisſimi inſtituti exempla in Urbibus Belgicis me videre memini. Cujus etiam ſpecimen nobis præbuit laudatisſimæ memoriæ Rex Stephanus, quando Warſſaviæ hujusmodi pro debilitatis militibus Xenodochium inſtituit & dotavit; A cujus tamen præclara & planè Regia voluntate & intentione nimis citò receſſum eſt.

Nec ego video quomodo Jeſuitarum bona vel ſanctius vel utilius collocari queant, ita nimirum, ut quæ ſemel piis uſibus deſtinata ſunt, iisdem maneant, & ipſius interim Nobilitatis damnum, quod à Jeſuitis Jeſuitarumque artibus ſe accepiſſe quæritur, aliquomodo reſarciatur. Et ſic Reipublicæ commodis utrobique optimè conſulatur.

Statutum de Jeſuitis non revocandis.

Facta ad eum modum bonorum Jeſuiticorum diſpenſatione, per peculiare ſtatutum ſub infamiæ, aut alia aliqua ſevera pœna interdici poſſet: Ne quis primùm de revocandis aut admittendis Jeſuitis ullo tempore publicè aut privatim mentionem facere auſit: quemadmodum Venetos jam feciſſe conſtat. Neve deinceps ulla ex regno Juventus, nobilis præſertim, à cujus ſalutari inſtitutione Patriæ ſalus pendet, ad Jeſuitas extra Regnum ſe conferat, iisdemque ſe diſponendam committat, Ne dum domi in expurgando Jeſuitarum fermento laboramus, illud ab extra nobis nihil tale ſuſpicantibus obrepat.

Tandem

Typographis frenum injiciendum.

Tandem opinor diligenter provideri oportere, ne per officinas Typographicas talia in publicum ſpargantur, quæ præſenti Reipublicæ ſtatui & Regni hujus libertati, quocunque modo averſantur: Qualia nimirum illa hactenus fuerunt, quæ Jeſuitæ ſub modernæ Regiæ Majeſtatis regno Cracoviæ & alibi contra confœderationem publicam in vulgus ediderunt: Talia inquam, quæ per ipſorum jugulum reditura fuiſſent, ſi legum publicarum is vigor, ea obſervantia in Polonia eſſet, qualis in benè conſtituta Republica eſſe debet.

Ubi tamen vafricies iſta hoc inſuper dolo ut plurimum uſa eſt, ut hujusmodi peſtilentisſima ſcripta ſub alienis certorum videlicet Prælatorum nominibus emiſerint: ut nimirum hac ratione univerſum Clerum in invidiæ publicæ conſortium pertraherent, & diſperſo in plures facinore ejus vindicationem Reipublicæ difficiliorem facerent.

Hac inquam ratione ſi in matris noſtræ Reipublicæ Polonicæ curatione procederetur, ità ut in hujusmodi proceſſu ſororum ejus Europæarum antegreſſa veſtigia intentè obſervaremus, tùm demum de internorum malorum medicationis ſucceſſu ſpem aliquam mihi imaginari & aliis etiam polliceri poſſem. Sic enim Peregriniſmum illum, ut ita loquar, à quo nobis non abs re metuimus inter nos eradicatum & penitus obtritum iri confiderem: Ut ipſum primum Clerum, cujus ad afficiendum ſtatum publicum permagnam vim eſſe conſtat, commodiorem, & publicarum legum, ſicut & Patriæ libertatis ſtudioſiorem ſimus experturi, quàm hactenus eum in rebus maximi momenti experti ſumus.

Deinde ſi in Reipublicæ adminiſtratione, circa res Polonicas aliquid vitii apparuit, aut negligentiæ aliqua nota fuit deprehenſa, opinor & illud remota hac corruptela, paulatim emendari poſſe & reſtitui, idque citra omnem tumultum & perturbationem.

Tandem in ipſa etiam Aula illud factionum ſtudium, quod hactenus univerſo Statui Reipublicæ valdè inimicum ſumus experti,

perti, paulatim residebit & extinguetur. Sublataque & quasi obstructa hac capitali diffidentia, & publicæ indignationis scatu-rigine, omnes Regni partes & Ordines sub unanimi Pacis studio denuò inter se coalescent, & sic tandem Reipublicæ totius Corpus pristinæ sanitati restituetur.

Quandiu verò hoc negligenter agimus nostris Legibus, Constitutionibus, Confœderationibus, Congregationibus, nil amplius efficiemus, quàm ut irritato malo Reipublicæ scissuram amplificemus, dum ignis qui ad momentum sopitus videbitur, denuò drumpens, majorem fragorem edet.

Hæc sunt Illustrissimi Proceres, quæ in præsentia de rerum nostratium statu ejusdemque correctione mihi in mentem venerunt, quæque vestro potissimum Judicio subjicere volui, ut tantum valeant, quantum à vestra prudenti censura valoris & authoritatis consequentur. DEUS OPT. MAX. à cujus Misericordia & potenti dextera Regnorum publica salus immediatè dependet, ille sub hac fatali rerum mundanarum convulsione vestris hisce in Republicæ Patriæ procuratione Conatibus pia studia & sancta desideria suggerat, rectisque & salutaribus Consiliis felices eventus largiatur.

AMEN.



